D. I. M. E. N. T. D.

QUÆSTIONES MEDICÆ DUODECIM

AB ILLUSTRISSIMIS VIRIS

R. R. D. D. JOANNE-FRANCISCO IMBERT Cancellario amplissimo & Judice, HENRICO HAGUENOT Decano Venerando, ANTONIO FIZES, FRANCISCO DE SAUVAGES, FRANCISCO DE LAMURE, GABRIELE-FRANCISCO VENEL, CAROLO LE ROY Regis Consiliariis, Medicis, & Professoribus meritissimis.

PROPOSITÆ

In Aulâ Episcopali Monspeliensi coràm Illustrissimo ac Reverendissimo D. D. FRANCISCO - REGINALDO DE VILLENEUFVE, Monspeliensium Episcopo, Comite Melgorii, & Montisferrandi, Marchione Marquerosæ, Barone Salvii &c. Regi à Consiliis secretioribus.


Pro Regiâ Cathedrâ vaccante

Per promotionem R. D. JOANNIS-FRANCISCI IMBERT Professoris Regii ad Cancellariatum dictæ Universitatis.

Quas Deo favente, & auspice Dei-parâ propugnabit triduò integro manè & serò diebus 19. 20. *&* 21 *mensis Februarii anni* 1761.

IN AUGUSTISSIMO LUDOVICEO MEDICO MONSPELIENSI

GASPARDUS-JOANNES RENÉ Monspeliensis D. M.



MONSPELII;

Apud AUGUSTINUM-FRANCISCUM ROCHARD, Regis & Universitatis Medicinæ Typographum unicum. 1761.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b31957328_0001

ILLUSTRISSIMÆ

SCIENTIARUM SOCIETATI REGIÆ

MONSPELIENSI

CUM ALMÂ QUÆ PARISIIS EST ACADEMIÂ, CONJUNCTÆ.



IRI ACADEMICI ILLUSTRISSIMI,

Quàm decorè, quàm humaniter, apud vos hoſpitentur Muſæ, quam cordi vobis ſit Artium ſplendor & incrementum, jam diù veſtra etiam celebritas fecit, ut tum inter noſtros, tum inter exteros nullus omninò ignoret.

Quibus igitùr auſpiciis utar ego fauſtioribus, ut in lucem me proferam de Palmâ diſputaturus, quam ſi veſtro judicio valeam promereri, nihil eſt quod ultrà exoptem, Sublimi feriam ſidera vertice.

Enim verò ſi Populari aurâ civilique ſtudio tantoperè delectamur, propterea quod ſine illis beatutidinem vitæ nullam eſſe poſſe benè cordati judicavere, quantò propior medullis voluptas adeſt ſenſuſque jucundior, habere exiſtimationem & gratiam virorum in omni genere Litterarum & Doctrinæ exercitatiſſimorum!

Tunc enim quaſi novâ ingenii & virtutis acceſſione, noſtra nobis evaneſcit tenuitas, factoque ad ſapientum benevolentiam aſcenſu, ad illorum quoque naturam & decus erectos nos facilè arbitramur.

Atquè ea ſunt ingeniorum incitamenta, ingentes illi ſtimuli quibus Artium fortuna promovetur & creſcit: quæ ſi è medio tollantur, Artes vileſcere neceſſum eſt, & cum illis præcipua rei publicæ ornamenta interire.

Nam etſi multò laudabilius ſit laudem aſpernari ſtrenuè, quam ambitioſiùs aucupari, attamen quæ noſtra eſt hominum infirma conditio, ad præclarè facta vix unquàm allicimur niſi ſpe utilitatis cujuſdam, nec virtus ipſa dulceſcit ſuaviùs, quam cum illita laude & gloriâ commonſtratur.

Quod quidèm expertum me eſſe libenter confitebor, qui magna Bella, & quæ forſan vires excedant meas, minùs impavidè agitarem, niſi daret animos, & virtutem incitaret veſtræ comparandæ laudis immenſa cupido.

Favete igitùr Athletæ, quem ſui commilitones vocant invictiſſimum, nec credunt, quemque veriùs ego, credite Viri Illuſtrimi, veſtrum vellem appellare; qui de ſe proliχiùs ſi forſan hic dixiſſe videbitur, hoc illi condonandum, quod de vobis eggregiè dicere imparem ſe planè ſentiat. Vetuit dein ſummi Præſidis veſtri ſumma modeſtia, nè de ipſo unum quidèm proferrem verbum; quæ lex quàm non ſatis æqua ſit, cum bonâ illius veniâ, affirmare non dubitarem, ſi tam mihi facilè foret eleganter Scribere, quàm illi, ſapere altè, agere ſemper pulchrè & rectè, præeſſe cum beneficentiâ & ſinè faſtu. Valete,

VIRI IMMORTALITATE DIGNISSIMI,

Offerebat XI°. Kal. Martii. Anni M. DCC. LXI.

Dedictiſſimus vobis
& Cliens & Servus.

GASPARDUS-JOANNES RENÉ D. M. M.



QUÆSTIO PRIMA.

Quænam sint organa secretoria excretoriaque Bilis cysticæ, & quinam præcipui Morbi ab hac vitiosâ Bile pendentes?



INA desiderantur in propositâ disquisitione; 1°. Scilicet ut perpendantur, quænam sint organa secretoria excretoriaque Bilis cysticæ; 2°. Quinam diversi sed præcipui morbi ab hac vitiosâ Bile pendentes: his ut fiat satis, & vela tractationis nostræ expandamus, primam problematis partem ex Anatomicis eruamus.

Hepar vastissimum viscus, mediante peritonæo diaphragmati adhærens, in hypochondrio dextro positum, indè versùs latus sinistrum porrigitur. Munus hujus consistit in secretione humoris biliosi, à sanguine per venam portarum asportato separati, qui per peculiares ductus minores, & tandem in truncum & canalem collectus, quem ductum hepaticum vocant anatomici, ex hoc per diverticulum communem choledochum, ad intestinum duodenum transmittitur.

In singulari capsulâ hepati annexâ, pluribus tunicis conflatâ, vesiculâ seu cystide felleâ vulgo dictâ, colligitur idem humor, adservatur, & peculiari etiam ductu, qui cysticus dicitur, in ipsum quoque duodenum hac ratione defertur. Vesicula hæc fellea, pyriformis, peculiare receptaculum, quibusdam tamen animantibus denegatum, sub majori hepatis lobo & intra imam ejus crepidinem insidet, cui adnectitur, interventu vasorum sanguineorum, communis tunicæ, & processus capsulæ Glissonianæ (*a*); latus versùs quo hepati figitur, pluribus adnectitur filamentis, propriam hepatis substantiam

(*a*) Bianchi de hepate, t. 1. p. 100.

penetrantibus; quos inter reperiuntur ductus, poros inter Biliarios & vesiculam communicantes, ductus hepatico-cystici nominati (*a*).

Jam verò undenam Bilis cystica suam habeat originem, non una eademque est scriptorum consensio: existimant quidam hujus capsulæ tunicam, glandulosam esse, quæ separet Bilosum à sanguine humorem, quam irridet confabulationem immortalis Author eximii tractatus de Morbis hepatis. Alii putant, quod per peculiares & proprios ductus cystico hepaticos ibi congeratur; non nulli per ductum hepaticum in vesiculam ingeri statuunt: nos Clarissimorum Virorum experimentis suffragantes, credimus, ad hanc cystim tendere Bilem hepaticam, per cysticum canalem, partim etiam per plures minimos ductulos Biliarios, ex hepate immediatè ad vesiculam vergentes (*b*); nec Celeberrimi Halleri moramur argumentis (*c*), qui ligato ductu cystico, vel calculo cystici ductus iter præpediente, præter mucum insipidum, ex accinis tunicarum (ut credit) separatum, nihil vesiculâ inesse voluit: quibus positis, manifestum fit, quod cum Bilis in propriâ cystide non separetur, omnes accini glandulosi in substantiâ hepatis reperiundi, ductus hepaticocystici ab his in vesiculam tendentes, ipseque hepaticus ductus quo partim asportatur, pro meris liquoris hujusce cystici organis secretoriis habendi sint: unicus datur ductus excretorius, cysticus nempe, qui pluribus frenis cellulosis interiùs revinctus, in numerosas rugas eminet, quæ conjunctim aliquam valvulæ spiralis speciem referunt, is sinistrorsum ad hepaticum migrans, bini per angulum acutum uniti, ductum choledochum constituunt.

His compendiosè positis, alteram nunc problematis partem attingamus. Morborum ex Bile cysticâ vitiatâ nascentium, ingens apud Authores reperitur numerus. Peccare potest Bilis hæc, vel quantitate, vel qualitate, aut excretionis defectu; notando quod si non debito excernatur modo, morbi tunc à quantitate, aut qualitate pendentes ortum inde trahere possint, quia majori copiâ coacervata, nimiam propter moram, vitia contrahat. Ab his pendentes præcipui Morbi, (ut mentem nostram scriptis meritissimi Universitatis Cancellarii Jure quodam accommodemus (*d*);) sunt.

(*a*) Winslou trait. du Bas-ventre nº. 296.

(*b*) Testatur Illust. Bianchi hist. hepat. p. 111 & 112 quod vasa hæc quorum duplicem constituit classem, sæpius perscrutatus in bobus, equis, suibus & molossis, à vesicula ad remotiores & minutiores pororum Biliarium propagines progredientia conspexerit. Jam antea notabiliter cava fluidoque Bilioso saturata, fuerant detecta à Glissonio, Rudbeckio, Blancardo, Bartholino, Verheieno aliisque.

(*c*) Prim. Lin. phisiol. nº. 690.

(*d*) *Vide* eximium tentamen de Calc. Bili. prop. pro Baccal. an 1758 cap. 8. de Morb. &c.

1°. Icterus, morbus cachecticus decolor, varias sui complectitur species in flavum namque, viridem, nigrum, nativus cutis mutatur color; quæ mutatio refluxui Bilis ad sanguinis oceanum, moxque cum ipso circulationis legibus ad habitum corporis exteriorem, debetur (*a*). Hujus causarum numero adstruenda sunt, ea, quæ excretionem versus tubum intestinalem præpediunt, obstructione vesicæ felleæ, emissarii cystici, aut canalis choledoci, quibus ansam præbent Bilis spissa, viscosa, tenax &c.

2°. Cystitis seu inflammatio vesicæ felleæ; in hoc enim casu extrema arteriarum cysticarum, nec-non ramificationes venæ portarum texturam vesiculæ perreptantium, sanguine infarciuntur, obstruuntur, cætera accedunt inflammationi necessaria; quæ cuncta à congesta & exuperante Bile, nec-non à calculis in cystidis cavo efformatis, natales debent; facile etiam hinc patet colica cystica, à vasorum nempe & membranarum distensione; vel ipsiusmet vesicæ membranularum ruptio (*b*).

3°. Biliosus vesicæ felleæ hydrops, hunc fieri opinatur Illustr. Imbert, quotiescumque Bilis cystica, proprio receptaculo copiosissime coacervata, neque per bibula vasorum revehentium oscula proportionaliter resorpta, inhabilis est de cætero transitui è vesiculâ ad duodenum, ob penitus obturatum à calculis collum vesiculæ, ductum cysticum, choledocumve.

4°. Tandem calculorum Biliosorum efformatio; pluries namque in humano corpore gigni, tum Cadaverum apertura, tum millena Practicorum testantur observata; his non sola infestatur vesicula fellea; ductus cysticus & meatus choledocus, obsiti non semel conspiciuntur; de quorum vario efformationis modo, non est quod solliciti simus: Horum præsentia, morbos supra memoratos ut plurimum procreare solet, ut luculentissimè à jam laudato merit. Cancellario fuit demonstratum.

Non hi soli sunt affectus ab hâc vitiosâ Bile pendentes, cum enim alimentorum digestioni & chyli elaborationi, in duodeno opituletur; hujus deffectu, vel vitio, male subactus & eleboratus fit chylus, plurium morborum exin soboles, dequibus non hic differendi locus, ex quibus collatis patet.

Quænam sint organa secretoria excretoriaque Bilis cysticæ & quinam præcipui morbi ab hac vitiosâ Bile pendentes.

(*a*) Pulmones quoque colore citrino in ictero tinctos, observavit Zachias Quæst. Med. legal. t. 3. consil. 15 & in viro icterico, non tantum omnia viscera, ossa etiam & cartilagines flavo colore tinctos vidit Dolæus Encycloped. Med. Dogm. lib. 3. pag. 261.

(*b*) Vid. idem Tent. de Calculis pag. 87.

QUÆSTIO SECUNDA.

An structura Anatomica Pulmonum magnam lucem afferat in explicandâ hujus visceris inflammatione?

QUAM eximiam utilitatem accuratior corporis humani, per diligentiorem anatomen acquisita cognitio fœneret, nemo non videt. Nisi enim quis, partis istius, in quâ causa morbosa tyrannidem suam exercet, & cui firmius inhærescit, certam, quoad structuram & usum, habeat notitiam, is non solidum de morbo judicium, aptè indicare potest. Cum itaque nobis propositum fuerit, num Anatomica Pulmonum structura, magnam lucem afferat in hujus explicandâ inflammatione, fabrica & usus illius visceris, veniunt priùs animadvertenda.

Pulmo, corpus spongiosum, immediatum respirationis organum, thoracis cavitate coercetur; in duos lobos principes dividitur, à se invicem ope mediastini diremptos; major est Pulmo dexter, itemque frequentiùs in tres lobos semisectus, binos tantùm ordinariò obtinet sinister, rursùs uterque lobus in minores & minimos ope cellulosæ telæ, textus interlobularis nomine donatæ, per media intervalla divisos, tandemque in cellulas exiguas, membranosas, inter se communicantes, resolvitur. Per celebres sunt Anatomici qui contendant dari fibras carneas, contractiles, illis cellularum membranulis intermedias, de quibus tamen certior à nonnullis observatio desideratur. Pulmoni exterior membrana, simplex, tenuis, plevræ continua, intervalla lobulorum pontis instar tegit; interior verò, pro textus cellularis expansione à Vinslouvio habita, intimos loborum recessus penetrat, vaginamque vasis pulmonaribus, usquè quo pericardium subeant, suppeditat.

Quadrifariàm dividi solent vasa substantiam pulmonum, pro majori parte, constituentia, in aërea nimirùm, sanguifera, limphatica & nervea. Aërem in Pulmones adducit aspera arteria, ductus à larynge ortus, membranaceus partim, partim cartilagineus; hic ad curvaturam arcus aortæ, in duos ramos, trunco similes finditur, quorum uterque in suum abit Pulmonem, ubi miras patitur subdivisiones; donec decrescente cartilagine, ultimi bronchiorum ramuli, membranei fiant. In interiori asperæ arteriæ parte, & per totum ramorum tractum, sedent

sedent glandulæ, subnigræ, sat consistentes, per exiguos ductus poris similes, cum cavo tracheæ communicantes, quarum usus adhùcdum iu ambiguo.

Sanguifera Pulmonum vasa sunt, arteria & vena pulmonaris; illa à dextro cordis ventriculo ortum trahens, pervenit, ascendendo, ad divisionem bronchiorum, bifariàm tunc dividitur & suum uterque ramus ingreditur Pulmonem, ibi in innumerabiles ramos ramulosque, textu interlobulari suffultos, infinitis anastomosibus inter se communicantes, divisi, desinunt tandem in venulas, quæ easdem ac arteriæ, per omnem Pulmonum textum, passæ divisiones, quadruplici trunco adunatæ, in unum coeunt sinum Pulmonalem vocatum, reducemque sanguinem in auriculam sinistram, & ex eâ in ventriculum sinistrum devehunt. Non hæc sola sunt vasa sanguifera, dantur præterea arteriæ venæque bronchiales, quæ Pulmonum nutritioni inservire creduntur.

Duplex vasorum limphaticorum genus est in Pulmonibus; alia, valvulosa, vasorum aliorum, internum visceris illius textum perreptantium, iter sequentes, limpham in ductum thoracicum revehunt, alia verò in superficie Pulmonum reticulum efformant, horum obscurus adhùcdum exitus, aut decurrendi modus. Pluribus & etiam nervis gaudent Pulmones, per totam suam compagem distributis. Adsunt tandem vasa tenuia, limphatica bronchialia dicta, rorem limphaticum è sanguine secretum vehentia, qui in cavum bronchiorum effusus, nunc sensibili, nunc insensibili formâ, mediante aëre, expirationis momento, foràs amandatur.

Copia sanguinis quæ Pulmonem subit, æqualis est illi, quæ ad totum corpus, eodem tempore, defertur, patet hinc summa visceris hujus utilitas; consistit præcipuus ejus usus, in fovendâ sanguinis circulatione; cum enim variè plicata & contorta fuerint sanguifera Pulmonum vasa, necessum erat ut ab aëre, inspirationis tempore, Pulmones ingressuro, expanderentur vesiculæ, & evolutis sic vasis per eorum parietes repentibus, facilè posset exerceri sanguinis circuitus: per totum quoque corpus circularem hunc motum fovet Pulmo, ut ex eo liquet, quod læsâ respiratione, ægrè admodùm ac motu interturbato peragatur circuitus, penitùs verò sufflaminatâ, cordis & sanguinis circularis motus pereat: in atterendâ etiam, subigendâ & miscendâ sanguinis compage, multùm inservire luculentissimum est.

His de Pulmonum fabricâ & usu propositis, institutum nunc prosequamur. Ex primariis humanum genus excruciantibus morbis, omnium maximè, principatum tenent inflammationes: tot enim diversas corporis nostri partes aggrediuntur, pro variâ sede diversum nomen adeptæ, ut vix ullus sit acutus morbus, qui ab eâ non pendeat, aut

ſaltem qui hanc citiùs, vel minùs citò, ſibi comitem non adjungat. Has inter meritò eminet, illa quâ Pulmones infeſtantur, quæque peripneumonia nuncupatur; ſtipatur febre acutâ continuâ, difficultate reſpirandi, tuſſi, ſputo ut plurimùm cruento & dolore pectoris gravativo.

Difficilem ſanguinis tranſitum, in vaſis pulmonum arterioſis ſanguiferis minimis, vigente, imò & quandòque adauctâ, cordis & arteriarum vi truſivâ, cauſam eſſe continentem peripneumoniæ, ſat receptum eſt, ideò quod eâ poſitâ, ponantur ſimptomata morbum conſtituentia, abſque eâ, difficulter concipi poſſint; quibus habitis, evidenter patet, cognitâ ſemel ſtructurâ Anatomicâ Pulmonum, facilè explicari poſſe viſceris hujus inflammationem; & quidèm.

Ab aëre, in Pulmones immediatè agente, vaſa fulciuntur ſanguinea; hoc adjuvatur & acceleratur ſanguinis circuitus: facilè igitur interturbabitur ſanguinis motus, ægrèque Pulmones permeabit cruor, ſi elatere nimio, vel fracto gaudeat; ſi caliditate aut frigiditate nimiâ peccet; ſi partibus hæterogeneis, aut venenoſis ſit inquinatus; nam vel nimiâ aut præcipiti, vel inſufficienti aut languidâ aërearum veſicularum explicatione, rarefactione vel denſitate ſanguinis, imminutâ vel cohibitâ pulmonari perſpiratione, diverſiſque pro variâ indole, aërem conſpurcantium miaſmatum effectibus, per vaſcula Pulmonum præpedietur ſanguinis transfluxus, hinc peripneumonia,

Vaſa præterea ſanguifera, in molli & ſpongioſo hoc viſcere, ſummè tenuia ſunt, contorta & complicata, ad hæc ſolus appellit venoſus ſanguis, ut elaboratione fiat arterioſus; ſi ergo cruor quantitate, qualitate, vel in motu vitiatus, copioſiùs ad Pulmones detrudatur, aëriſque de cæterò indoles, & actio in Pulmonum vaſcula, quantitati, qualitati, aut motui ſanguinis viſcus illud tranantis, non reſpondeant; hujus facilè ſubſequetur inflammatorius morbus, ut Vere & Autumno frequenter experiri datur. Quibus perpenſis, jure quodam concludere fas eſt.

Structuram Anatomicam Pulmonum magnam lucem afferre in explicandâ viſceris hujus inflammatione.



QUÆSTIO TERTIA.

Quibusnam auxiliis diversorum Venenorum in Corpus humanum actioni succurendum?

VARIA inter, quæ in universo Artis nostræ ambitu digna sunt, ut altâ indagine & accuratiori perlustrentur scrutinio, locum certè mereri videntur Venena & modus quo ipsis est opitulandum: quot enim & quantas edant strages, mens meminisse horret. Amplior quidem est demandata Provincia, ut in omnibus punctis absolvi possit; ast in gravissimo enodando problemate, operæ & tempori parcemus.

Venenum, ex Meadio (*a*), illud omne dicitur, quod parvâ copiâ datum, animantium vitæ ità contrarium est, ut vel per os sumptum, vel extrinsecùs adhibitum, ei destruendæ sufficiat, aut saltem funestos producat effectus. Cum de Venenis eo proprio nomine donatis sermo sit; ea tantum intellecta volumus, quæ in minutissimâ ut plurimùm sui quantitate, insignem corpori noxam inferunt; attamen ut egregiè annotavit Sennertus (*b*), ea omnia quæ quandoque prosunt, è Venenorum numero non sunt excludenda, nec ea pariter quæ quandoque nocent in Venenorum numerum refferenda sunt; fidem de cætero faciunt observata, fuisse nonnullos adeò Venenis assuefactos (*c*), ut etiamsi dosi portentosâ assumerentur, nihil tamen indè damni perpessi fuere.

Trifariàm Venena dividit Boerhavius. 1°. Nimirùm in ea quæ vasa constringunt, aut erodunt. 2°. In ea quæ liquida coagulant. 3°. tandem in ea quæ motum humorum circulatorium interturbant; verùm cum adeò intricata horumce plurium actio lateat, ut conjecturis, ut plurimùm insistere necessum sit; nos, missis omnibus, quæ Venenorum agendi modum in corpus humanum spectant,

(*a*) Mead. Examen Venenorum introduct. p. 1.

(*b*) Pract. Libr. 6 Part. 5 Cap. 1. quod fusiùs in 5°. probl. enucleatur.

(*c*) Mercurial. de Venenis Lib. 1. Cap. 6. reffert anum quamdam, 30 Cicutæ dragmas, absque noxâ, deglutire consuevisse. Gaspar à Reies in Elysio Jucund. Quæst. Campo, memorat de Filio Cambaiæ Regis adeò Venenis educato, ut Muscæ solo suctu, interirent. Narrat Rodiginus Lib. 11. Cap. 13. Puellam, à Rege quodam Indorum, doloso munere, Alexandro Magno fuisse oblatam, quæ sputo appropinquantes, & coeuntes respiratione, interimeret.

prout à nobis non expetita, adeoque hic supervacanea; horum tantum effectus, constanti clinicorum observatione Compertos, ipsis que opitulantia auxilia, enucleare consilium duximus.

Triplex naturæ regnum peculiaria Venena profert; communior hinc & receptior apud scriptores divisio, in Venena vegetabilia, mineralia, & Animalia: horum potentissima in regno Animali hospitantur, quæ morsu ordinariò, ictu, vel afflatu, ab animantibus rabie vel irâ percitis, communicantur; noxia & quoque non nulla existunt, si cum Cibo vel potu deglutiantur: secundum tenent locum Venena, quæ minerale regnum suppeditat; his proximè accedunt quædam è vegetabilibus: in quo ordine, pro virium tenuitate, pertractando (nè nimiùm increscat opella) eminentiora tantùm & usitatiora proponemus, quibus quidem positis, aliorum praxis facili negotio derivabitur. Sint itaque

VENENA ANIMALIA.

1°. Venenum, quò non sævius, quò non nocentius ullum, hydrophobicum. Plura sunt huic obnoxia animantia, frequentiùs verò cæteris Cani, Lupo, Vulpi, morbus oritur. Morsu sæpissimè hominibus communicatur; varia tamen prostant observata (*a*), virus è solo spumæ attactu serpere posse, quandoque etiam aliis modis. In salivali humore latere ut plurimùm Venenum hocce (*b*), nemo ibit inficias; quod quidem à Rabiosis, sanis animantibus, viâ quâlicumque infusum, multiplicia ac tetra simptomata producere, aptum est: horum præcipuum & ex omnium consensu pathognomonicum, per quod definiri solet morbus, est horror aquæ & potulentorum; cætera verò, cum variè à variis enarrentur, vix ad idem morbi genus pertinere videntur,

(*a*) Mathiolus in 6 Dioscoridis Cap. 36. Cæl. Aureli. acut. Morb. Lib. 3. Cap. 9. Palmarius Lib. 6. de Morb. contag. Skenckius Libr. 7. P. 848. præterea Fernelius, de Lupo rabioso memorat, cujus carnem esitantes in rabiem acti sunt. & Lemery. Act. Acad. 1706 de sanguine epoto. Narrat Hoffmannus de hydrophobiâ per coïtum communicata; potest etiam serpere ex inspirato aëre ab Animali rabido expirato, vid. Aretei Morb. acut. Lib. 1. Cap. 7. & Observ. D. Razoux in Diar. Novemb. 1757. tandem spontè in homine fuit producta; narratur in Miscel. Nat. Curios. 1706 de Juvene, qui irâ excandescens, digitum momordit, unde hydrophobus intra 24 horas factus est; Mulierem vidit Malpighius Oper. posth. hydrophobam à morsu Filiæ Epilepsiâ correptæ vid. etiam Vanswieten T. 3. Pag. 537. & Brogiani de Ven. narrat vidisse bis hydrophobiam ab acutis Morbis exortam.

(*b*) Confer. egreg. Differ. Illustr. Sauvages, Thes. merit. Astruc. Monsp. propug. anno 1719. & Celeb. Vansvieten.

tur, hæc idcircò brevitati ſtudentes, ſilentio premimus.

Quamvis Venenum hoc valdè activum & penetrans ſit; in corpus tamen receptum, ſæpe diù latet, priuſquàm vim ſuam exſerat (*a*); frequentiſſimè vero circà quadrageſimum à ſuſcepto Veneno diem, interdùm citiùs, ubi præſertim ſaliva immediatè infecta fuerit, ſeſe manifeſtare, exemplis probat Illuſtr. Sauvages.

Varia omni ævo, ad virus hocce debellandum, fuerunt celebrata auxilia; hæc præcipuè, quæ à rabioſo Animali deſumuntur, hujus hepar vel carnem, aſſumi ſuadent non nulli, alii pilos vulneri apponendos eſſe volunt, quæ anilia eſſe commenta meraſque nugas, agnoſcunt prudentiores bene multi: cineres Cancrorum fluviatilium, vel ſolos, vel additis Thure & Gentianæ radice, miris laudibus effert Galenus: pulverem habet *Palmarius*, cujus tantam eſſe credebat efficaciam, ut nullâ vulneris habitâ curâ, quocumque victu uterentur demorſi, certa ſanatio ab ejus uſu poſſet ſpectari: multùm laudat *Meadius* pulverem Antylillum dictum, qui conflatur è Lichene cinereo terreſtri & Pipere nigro: Acetum pro ſpecifico commendatur à Kramero (*b*), præſertim ſi addatur Pulvis Cantharidum, &c. dequibus certiorem experientiam deſideramus, hanc verò cum ſanioribus excogitamus medendi methodum.

Duo in hydrophobiâ veniunt diſtinguenda tempora, unum ſcilicet in quo demorſi futurum ſibi timent morbum, alterum verò in quo experiuntur; ſic quoque binæ curatoriæ methodi: quoad primam; ſtatim à ſuſcepto contagio, ſcalpello circumcidenda eſt Pars, ne altius inde prorepat, admovenda dein vulneri cauteria, volunt plures ut abſciſsâ parte, Aquâ ſale marino turgidâ, vel aceto abluatur, alii cucurbitulas, hirudines, ſcarificationes faciunt multi; verùm ſi locus hæc reſpuat auxilia, cathæreticis tunc & pyroticis utendum; laudantur in hunc finem Lapis infernalis, Præcipitatum rubrum &c. cautè interim eſt attendendum, ne vulnus citiùs coaleſcat, & Veneni ſeminia concludat; hinc ſupurationi inſiſtendum.

Veneni miaſmata, ad ſanguinis alveum delata, educenda, vel alteranda ſunt; vena idcircò plus minuſve ſecetur; purgatio identidem inſtituatur, Emetico-catharticis; blandis dieureticis, urinæ ſunt proritandæ; proſunt mirificè & extolluntur, medicamina è Mercurio deprompta, tum internè ſumpta, qualia ſunt Panacea mercurialis, Mercurius dulcis, Turpethum minerale (*c*); tum, quod ſatius ducimus,

(*a*) Conſul. Act. Acad. Monſpel. 1730. Aſtruc de hydroph. Mead. Tentam. 3. P 79. Fabr. Hil l. Cent. 5. Obſerv. 86. is Matronam novit quæ per 30 annorum ſpatium, ſingulo ſeptennio, recrudeſcentiam Veneni patiebatur.

(*b*) Vid. Eſſais & Obſerv. de Med. d'Edimbourg T. 7. Pag. 106.

(*c*) Docto James Turpethum minerale æquè eſſe ſpecificum in hoc morbo vult, ac aliud quodcumque pro ſuo morbo vid. Diar. erudit. menſis Septembr. 1744.

leves sed repetitæ, Unguenti Neapolitani (in parte præcipuè demorsâ) inunctiones; non neglectis interim diluentibus, subacidis, variis lactis generibus, Balneis &c.

Dum verò confirmatæ hydrophobiæ, sese in conspectum produnt simptomata, spes est in angusto, & vix ullus vitat libitinam, omnia idcircò tentanda, nam in evidenti mortis periculo, ex *Celsi* præcepto, *satius est anceps experiri remedium quam nullum*, modò tamen fatum inde non acceleretur; adhibenda sunt venæ sectiones, balnea, Nitrosa, Mercurialia intùs & extùs, aliaque; verùm iis peractis, mors sæpissimè medentis partes agit.

2°. Venenosa inter animantia, non infimum tenet locum Vipera. Pluribus de ipsius historiâ & anatome, ad præsens institutum non pertinentibus, prætermissis; arbitramur cum *Redi*, *Meadio*, aliisque, hujus Venenum esse liquorem subflavum, vesiculis duabus depositum, ad radices dentium incisoriorum, quod vulneri ab ipso Animali, aut instrumento quodam facto, instillatum, citò de medio tollit. Hæc solent rescenseri, morsum subsequentia simptomata; pars non solum demorsa, sed non numquam vicinia, in tumorem vario colore stipatum elevantur; dolor insignis, ægrotantem miserè affligit; accedunt languor, totiusque corporis debilitas; pulsus celer fit, debilis & quandòque intermittens; motus convulsivos frigidus comitatur sudor; supervenit icterus; adsunt vomitus biliosi, singultus, sincopes aliaque sexcenta, mors ipsa tragædiam claudens, nisi promptior medela.

Tota pendere videtur curandi ratio, ut Venenum statim extrahatur, ut inhibeatur ne ad interiora serpat, & ut si quid jam in sanguinis oceanum penetraverit, Antidotis Valentioribus expugnetur; nihil idcircò utilius excogitarunt veteres, scarificationibus & cucurbitularum applicatione, ferrum ignitum parti admotum suadet Boylæus, pulverem Pyrium desuper accendi vult Lemeryus; opem ferre possunt ligaturæ, suctiones, affricata axungia Viperina, vel caput ejusdem cruentum vulneri impositum, allium contusum applicatum, cujus esus utilissimus (*a*), coctæ Viperinæ carnes & comesæ (*b*), Oleum Olivarum quod pro certissimo ab Anglis celebratur Antidoto (*c*); conducunt Theriacalia, alexiteria, sudorifica; sed

(*a*) Riverius Cent. 4. Observ. 96.

(*b*) Confer. Thes. 2. Illust. Imbert pro Cathæd. vac. an. 1749. sunt qui virtutem diaphoreticam carni Viperæ denegant, ast perperam, & præter multa, retulit nuper Clar. C.... Practicus hujus Urbis, se ab esu Viperarum, Anguillarum more conditarum, copiosè sudasse.

(*c*) *Vaterus* de novo Antidot. adv. Viper. morf. verùm D. D. *Geofroy* & *Hunauld* ab Acad. Paris. designati, ut id examinerent, post multa experimenta, nihil certi stabiliri posse pronuntiarunt vid. Act. Acad. 1737.

nullum, ex Obfervatis Illuft. Bernardi de *Jeuffieu*, alkali volatili, tum extùs, tum intùs adhibito, datur tutius certius que remedium.

3°. Aranei, duorum funt generum, ex Naturæ Curiofis, vel bioccculares vel octocculares, quorum plures dantur fpecies, aliæ aliis Venenofiores: celebris eft, ex octonoculari genere, Araneus, Tarentula dictus (*a*); frequens reperitur in Apuliâ, æftivis temporibus, urente præfertim caniculâ, infidias ftruit, & ore Venenato impetit, Hieme verò morfus, vel nullus, vel innocuus. A Tarentulâ demorfi, ictum perfentiunt haud abfimilem ei, quem Apis infligit, brevi tamen partem, circulus livefcens, flavus, aut niger inficit, & inflammatorius exoritur tumor, nunc dolore, nunc verò ftupore infigni ftipatus; paucis à morfu elapfis horis, anxietatibus, difpnœâ, cardialgiis, univerfi corporis debilitate, corripitur æger: tremor aliquandò artus occupat; interroganti, quid fentiat? nullum fæpius refponfum præbet, aut mœftâ inconditâque voce, necnon turbato vultu, pectus digito defignat: hæc & alia à Baglivio in Tarantatis obfervata, non funt ægrotantibus fingulis communia, fed variant, pro Tarentularum naturâ (*b*), ægri temperie, & calore magis minùfve urente, per æftatem quotannis folet morbus exafperari; notando quòd morbum, cæteroquin endemicum, quocumque iverint affecti, fecum ferant (*c*); diuturnitate tamen temporis, & adhibitis adhibendis, curari folet.

Eadem in curatione Tarantifmi ufurpanda veniunt auxilia, quæ jam dum de Viperâ monuimus; verùm, ex Authorum relatis, multum in paroxifmo opitulatur Mufica; auditis enim cytarhædis, fenfim quafi redivivus, ad faltandum profilit æger, donec in largos fudores corruat, quiefcit pofteà, & pauco elapfo tempore, ad faltus denuò fe accingit, quod quidem exercitium, per quatuor dies folet peragi, ficque alacrior evadit.

4°. Buffo Venenofus à Medicis cenfetur; hujus Venenum, mictu præfertim, cuti afperfum, deleteriam exferit vim, nifi pars ftatim urinâ vel aqua falfa abluatur.

5°. Scorpio animal eft colore fubatro, ex hujus imo corporis cauda producitur, cujus extremo, aculeus recurvus & cavus, Venenum continens, adhæret. Innoxii funt certis in regionibus, in calidiori-

(*a*) Sunt qui Morbum hunc in dubium revocant, verùm vid. *Bagl.* & *Tozzi* Libr. 1, P. 38. narrat de Militibus Hifpanis, qui incolis ludentes, fefe morderi paffi funt moxque graviffimis correpti fimptomatis, periere. Vid. etiam Brogiani de Ven. Pag. 56.

(*b*) Ex Baglivio. Cap. 6. Pag. 615 alia producit fimptomata, Tarentula fub albida; alia, ftellata; alia tandem, uvæa, quæ pofteriores, priori periculofiores.

(*c*) Meyffonier des Malad. extraord. & Nouvel P. 31. narrat fe Noviffe Monfpelii Medicinæ Studiofum Tarentifmi paroxifmo correptum, qui per Muficam, Aquam vitæ, & Effentiam Roris Marini fanatus fuit.

bus vero Venenati, nostratium etiam ictus, periculosus non semel fuit observatus. Præsentissimum remedium est, Oleum in Scorpiones diù servati fuere, eoque vulnus illiniendum; ipse Scorpius contritus parti applicandus est, qui sibi ipsi egregium est medicamen; an virtute attractivâ? an vero alexiteriâ effectum suum præstet? peritioribus relinquimus disquirendum: Assam fœtidam cum vino appositam celebrat Arnaldus noster Villanovanus; quæ jam memorata aliis prævalent Antidotis: conducunt intus Alexipharmaca.

6°. Cantharides, Muscæ sunt, coloris eleganter viridis, splendescentes, & odoris fœtidi. Venenatam ipsis inesse vim, plura sunt quæ demonstrent, cuti exterius admotæ, inflammant, vesicas excitant; nimiâ dosi, eadem quæ intus sumptæ, non numquam procreant, renes scilicet & vesicam afficiunt, exulcerant, mictum cruentum, urinæ difficultatem, pruritum immanem in pudendis, Venerisque cient stimulum: quam virulentam Cantharidum naturam, pluribus luculenter adstruxit experimentis *Baglivius* (a), memorans, binos Canes, injectis in jugularem venam unciis duabus tincturæ Cantharidum, cum aquâ Cardui benedicti factæ, primò aquea & viscosa vomuisse, deindè humi cecidisse, vehementissimè sitiisse, alimenta respuisse, ac demum convulsos periisse; in quorum aperto Cadavere, nigerrimus sanguis & dissolutus, minimis veluti Olei guttulis perfusus apparuit, sanis de cæterò visceribus, exceptâ vesicâ urinariâ, in quâ nulla muscositas, quâ naturaliter obducitur, fuit reperta.

Assumptis Cantharidibus, danda est statim opera, ut è corpore ejiciantur; laudantur in hunc finem vomitoria, ex aquâ tepidâ & jusculis pinguibus; ut earum obtundatur acrimonia, largâ æger epotet copiâ lacticinia, Oleosa, mucilaginosa; non neglectis clisteribus ex diluentibus & Oleosis; in vesicam injiciantur decocta emollientia; conducunt etiam semicupia; Camphora cum Oleo Amigd. dulc. soluta, pro egregio Cantharidum correctivo prædicatur (b).

VENENA MINERALIA.

1°. Mineralium Venenorum vehementissimum censetur, Mercurius Sublimatus corrosivus: nihil aliud est præparatio hæc, quam Mercurii vivi cum acido Salis Marini miscela (c): hoc assumpto lingua &

(a) Baglivi de usu & abusu Vesicant. Cap. 1. Exper. 1. & 2. Pag. 647.

(b) Groenvelt de tuto Canthar. usu inter. Verùm Fullerus in Pharm. domest. P. 86. id expertus pernegat.

(c) Adduntur in præparando Nitrum & Vitriolum, ut facilius succedat operatio, dum Salis parti alcalinæ adunantur, sicque acidum liberius factum, Mercurium faciliùs aggredi queat, sed nullum horumce cum Mercurio connubium.

& fauces exasperantur, exulcerantur, adsunt truculenta ventriculi & intestinorum tormina; viscidæ, spumosæ, cruentæque materies vomitu & alvo rejiciuntur, intolerabilis intùs æstuat calor, sitis urget ardentissima, superveniunt deliquia, sudores frigidi, tendinum subsultus, convulsiones, brevi mors.

Veneno hocce domando, sæpiùs impar Medicina; adnittendum statim est, ut vomitu concitato amandetur; largâ manu usurpanda veniunt, aqua præsertim, ex Sydenhamio, Oleum tepidum, Butyrum recens, jiuscula pinguia; ad lenientia deinceps, lacticinia, mucilaginosa recurrendum; opem etiam præstabunt, statim post assumptum Venenum, Alkalia fixa (a); quæ hactenùs memorata, totum absolvent curationis scopum.

2°. Arsenicum est Sal volatile metallicum, cujus triplex rescensetur species, album scilicet seu Cristallinum, flavum & rubrum: è substantiâ quâdam cobaltum dictâ, sublimatione extrahuntur; potentissimè corrodunt, Cristallina præsertim: Venenis etiam meritò annumerantur, *Auripigmentum* & *Realgar*, quæ substantiæ sunt Arsenicalis prosapriæ. Intus varia hæc si sumantur, pessima creant simptomata, quæ lethiferam vitæ catastrophen, ut plurimùm inducunt; si vero mors non derepentè subsequatur, Contumacissimi succedunt chronici affectus; ex quibus liquidò apparet, Arsenicalia è foro Medico esse excludenda, nam pejora malo, talia remedia censemus. Periculo non caret, externus Arsenicalium usus, & lethalibus infamatur exemplis (b). Opitulantur pinguia, Oleosa, lacticinia, mucilaginosa &c.

3°. Varia Mercurii præcipitata, Antimonialia quædam, acida Mineralia concentrata, Veneris non nulla præparata, item si ab æneo vase, in apparatos vel asservatos Cibos, Metallicum æruginosum quid migraverit, & similia, vulgò Venena audiunt, & intrâ corpus admissa, eadem excitare queunt, ac jam memoratum Sublimatum, eandem itaque curatoriam methodum exposcunt.

4°. Hujus non sunt Genii Saturnina, ut aliorum Venenorum more, citò perimant, etiamsi paulò majori dosi ingerantur; repetita tamen si fuerit, minor etiam quantitas, lentâ morte jugulant, adeò ut plures sibi persuasum habeant, famosum illud Venenum, Pulverem successionis dictum, Saturninæ esse prosapiæ. Assumpto toxico, contumacissimæ sequuntur alvi adstrictiones, atrocia tormina, dolor in humeros,

[a] Incassùm etiam datis vomitoriis, Olei Tartari per deliquium ope, simptomata mitigavit Kramerus. Observ. d'Edimb. T. 7. P. 42.

[b] Fernel. de Meth. Med. Lib. 6. Cap. 18. Hild. Cent. 6. Observ. 80. & 81. Sennert. Prat. Lib. 6. Part. 5. Cap. 2. Wepfer de Cicut. P. 289. Hoff. de Metallurg. Morbif. casum etiam refert Mead Tent. 4. P. 125. infantis, horrendis vomitibus & alvi dejectionibus perempti, cui leve capiti vulnus inflitum fuerat, pectine qui humescebat Oleo, in quo fuerat infusum Arsenicum.

dorsum, lumbos oberrans, vomitus; postea paræses, contracturæ, asthmata, lentæ febres, quæ, communia apud eos qui plumbum quomodocumque tractant, aut si Vina Lithargiro adulterata, epotentur; unde ex Boerrhavii monito (a), caveant Venenum, quod odore & sapore carens, tanto pejus afficit, quo irrepsit tectius, nec se manifestat nisi in devictis jam corporibus.

Duplex apud scriptores proponitur curatoria methodus (b); alii diluentia, emollientia, oleosa, lacticinia, semicupia & vomitoria, non nisi cautissimâ manu, propinanda suadent; alii verò, quibus adstipulamur, ut causa materialis morbi faciliùs averruncetur, vomitoria, inter quæ primitias tenet, Vitrum Antimonii Saccharo mitigatum, purgantia stimulantia & acria, Opiata, sudorifica & cardiaca mirùm opitulari perhibent. Breviter nunc ad

VENENA VEGETABILIA.

1°. Tristibus & innumeris exemplis, virulenta Cicutæ comprobatur indoles; ex hujus succo occubuisse Socratem, fidem faciunt Historiæ (c); in his tamen regionibus magis, in aliis verò minus exitialis est. Intùs si sumantur folia, radices, semina, vel succus Cicutæ (d), pessimi memorantur effectus, de quibus egregius Wepferi consulendus tractatus. Valent largâ manu propinata mitiora vomitoria (e), Oleosa, lacticinia, ænemata emollientia, & si purgantibus necessum sit, blandis tantum & minorativis est utendum: sic è ventriculo & intestinis, ex toto, vel maximâ ex parte propulso Veneno, pro præsentissimo dein laudatur, largus Vini generosi potus (f).

Eadem de Napello Vegetantium venenorum ocyssimo, & de purgantibus quibusdam mochlicis dictis, intellecta volumus.

2°. Inter Venena locum tuentur Fungi, quorum numerosæ species, formâ, colorum diversitate, & qualitate inter se distinctæ (g): etsi

(a) Chem. T. 2. Proc. 171. P. 288.

(b) Vid. quoad primam tract. Famig. Tronchin de Colica Picton. & quad secundam hujus Examen Auct. Med. Paris.

(c) *Publica pœna reis hæc esse solebat Athenis,*
Hâc sumptâ, magnus Socrates fuit exanimatus
Æmilius Macer Lib. de Herb. virtut. Cap. de Cicutâ.

(d) E solo foliorum olfactu, ebrietatem & stupiditatem se expertum fuisse, testatur Boerrhavius Hist. Plant. Hort. Lugd. Batav. P. 93.

(e) Mitia si sint invita fortiora suadet Wepferus Pag. 323. & Haller. in Boerrh. N°. 1138 octo pueros memorat, qui vomituriebant & convellebantur ex esu Cicutæ, propinato Vitriolo albo, sanatos.

(f) Id suadent innumeri Practici de quibus vid. Henr. à Brà Lib. 2. Cap. 10. de Med. advers. Ven.

(g) Tournefort Hist. Acad. Paris. 1707.

quidam in eduliis usurpentur, omnes tamen noxam corpori inferre queunt, unde Seneca, Fungos voluptuarium Venenum nominavit, & Plinius, cibum ancipitem illos voluit: graviſſima producuntur, mors ipſamet, ſi ſpecies Venenatæ dictæ comedantur (*a*), ut plurimis fide dignis obſervationibus liquet, & ferè quotannis in hâc Urbe triſti confirmatur eventu. Opitulantia remedia ſunt, Aqua tepida, Oleum Olivarum, Amygdalarum dulcium, Acetum, Butyrum inſulſum liquatum (quo ſolo plures ſanatos vidimus) Mel, aliaque hujuſmodi.

3°. Opium ſuccus eſt Gummeoreſinoſus, è capitibus Papaverum hortenſium inciſis, expreſſiſve emanans, nigricans, mollis, ſaporis amaricantis, odoris gravis & viroſi. Etiamſi in praxi quotidiè experiamur, Opium debitâ doſi exhibitum, vix alio medicamento, præſtantiſſimis ſuis effectibus, Palmam concedere, & pro heroïco habendum eſſe; in doſi tamen largiori aſſumptum, Venenum evadere, nemini non notum eſt; promiſcuus idcircò & profuſus ejus uſus, Cane pejus & angue vitandus: miſſis omnibus, quæ Opium ut egregium medicamen ſpectant, hoc tanquam Venenum intueamur; ſufficiens copia ut tale dici queat, ritè determinari non poteſt, hujus enim effectus pro conſuetudine (*b*), Ætate, temperamentorum diverſitate, multùm variant.

Plures memorantur effectus Opii nimiâ doſi aſſumpti, quos vetant reſcenſere, ſtrictiores Diſſertatiunculæ Cancelli; notando, hos ſat apprimè conſonare cum Vini effectibus, *Vinum enim* inquit Angelus Sala, (*c*), *abuſu phrenitidem, maniam, ſtupiditatem alioſque deteſtandos affectus, temporis ſucceſſione parit, non minus quam Opium.* Auxilia ſunt, venæ ſectiones, vomitoria, cliſteres acriores, veſicantia, Hauſtus Vini veteris, Caſtoreum, quod optimum; cenſetur Opii correctivum, ex *Galeno*, *Mercuriali*, *Heurnio*, *Foreſto* acida inter quæ acetum, ſuccus Citri, ſpiritus Vitrioli, aut Sulphuris &c.

Hæc quæ jam, dicta ſunto de plantis quibuſdam narcoticis, quales ſunt Hioſciamus, niger præſertim, Solani ſpecies quædam, Mandragora, Stramonium, aliæque.

Antequam manum de tabulâ, pauca de Venenatis quibuſdam halitibus, ſuperſunt proponenda. Mortiferi è terrâ erumpunt va-

(*a*) Ex ſolo interdùm odore, ſubitæ mortis cauſam extitiſſe, narrat Foreſtus Lib. 10. Obſer. 116. & Hildanus peſſima memorat ſimptomata, cuidam, qui manibus tantum Fungos verſabat, accidiſſe.

(*b*) Quanta ſit conſuetudinis vis, patet & Turcarum exemplo, qui trium etiam dragmarum pondere, Opium, una doſi, aſſumere non verentur, & hujus uſu ad Martis, veneriſque pericula paratiores fieri aſſerunt.

(*c*) Opiologia Cap. 3. P. 531. vid. etiam Mead Tent. 5. P. 135. & Geoffroy Mat. Med. T. 3. P. 693.

pores, qui mephites dicuntur; hos inter famosissima est Neapoli Spelunca, ab indigenis *Grotta del Cane* nominata, è quâ fumosa, tenuis, sensilis tamen, emergit aura: in hujus fundum, Canes vel alia viva Animalia immissa, anhæla statim in convulsivos motus, prostratis tandem viribus, in deliquium moribunda decidunt, & si longior sit mora, irremeabile sequitur fatum. Cryptam haud absimilem observare datur, in pago ab Urbe hâcce non distante, qui dicitur *Perols*, in quo pluribus tentatis experimentis, eadem, ac in Speluncâ Neapolitanâ, observavit Phænomena merit. Prof. (*a*). Idem etiam, ex observatis jam laudati viri, lethiferum Gas continent, sepulchreta.

E virulentis etiam & valdè infensis exhalationibus habendæ sunt, eæ quæ ex Carbonibus, in conclavi clauso & angusto accensis, in aëra feruntur; eo quod gravem non modo noxam, sed & celeritèr necem, & hominibus & animantibus inferre queant, de quibus fidem faciunt Medicorum monumenta (*b*): noto etiam notius est quam lethiferi sint vapores, qui è fodinis metallicis, aliisve subterraneis locis, nec non è cellis musto fermentante repletis, exhalantur.

In eo consistit curationis scopus, ut ægri statim aëri libero, sereno, ac temperato exponantur, aquâ frigidâ facies perfundatur; irritandæ dein sunt partes, suadet in hunc finem Hoffmannus, ut tota pectoris regio pedes & brachia, pannis asperioribus fricentur; secanda postea venit vena, Salia interim volatilia, in os & nares infundantur, vel etiam aquâ vehiculi loco propinentur; aër de industriâ in nares & os immitatur, vel folle, vel si vir quidam robustus, in os ægrotantis, totis viribus insufflet, hoc artificio, memorant Acta Edimburgensia, virum pro mortuo habitum, sanitatem recuperasse; quæ breviter exarata, sufficiant; de aliis auxiliis, varii sunt Scriptores consulendi.

Brevi quidèm folio, vastam hanc Venenorum historiam perstringere ausi, plures adhùc ampliationes, expetere videtur proposita disquisitio; nec nos latet scriptores non nullos, alia plura in Venenorum albo contineri, existimasse; verùm hic ingenuè fatebimur (quod nobis, an vitio tribuendum sit? an laudi? statuent, penès quos causæ nostræ judicium fuerit) rem copiosissimam, vires & tempus excessisse.

QUÆSTIO

(a) Act. Acad. Monsp. 1743.

(b) Marcel Donat. Hist. mirab. P. 107. Forestus Lib. 9. Obser. Act. Acad. Paris. 1710. Lancisi de sub. mort. Lib. 1. Cap. 6. Observ. 2. Ramazzini Suplem. Diatrib. de Morbis artif. Diarium Med. mens. August. 1760. Hoffmannus passim.



QUÆSTIO QUARTA.

De Scorbuto.

SCORBUTUS, teter affectus, numerosa morborum ac simptomatum catervâ comitatus, numquàm idem, sed proteiformis, facies semper variare assuescit, cum modò capitis, modò thoracis labes, nunc abdominis vitia, & nunc corporis totius, morbos ostentare nitatur, verè malorum ilias, omnibus flebilis, describi potiùs, quam deffiniri amat.

Morbus hic veteribus haùd ignotus, alio licet sub nomine, accolis Septentrionalibus Maritimis endemicus, hæreditarius non numquam, contagiosus (*a*), variis stipatur simptomatibus, & sub variâ incedit larvâ & signis, quorum alia in his, alia verò in aliis observantur, neque enim omnia, in omnes indifferenter cadunt; hæc præcipua ab Authoribus solent numerari: incipiente morbo, gravitas & insolita lassitudo, totum occupant corpus; faciei color à naturali recedit, plumbeus plerumque fit; accedunt dein gingivarum tumor, mollities, cruentatio, livor, erosio; nigrescunt dentes, denudantur, dolent, vaccillant, decidunt; crura nunc intemescunt, nunc extenuantur, energunt in iisdem macculæ diversæ figuræ, magnitudinis & coloris, quæ nonnumquam in femoribus & toto corpore sparsim eflorescunt, quæque sæpiùs, in ulcera mali moris degenerant; lancinantes miserum fatigant dolores, modò fixi, modò erratici, dira ventrem cruciant tormina, languet appetitus & prosternitur, urinæ minguntur initiò citrinæ quandòque & tenues, quandòque crassæ & albidæ, verùm crescente morbo, rubescentes, fuscæ, putridæ, Arenulis rubris & friabilibus, in imâ parte subsidentibus; pulsus parvus fit, debilis & inæqualis, adsunt pertinaces vigiliæ, oris fætor intolerabilis, dispnæa, sudores frigidi, crebræ hæmorragiæ, syncopes, aliaque sexcenta, pro partis affectæ diversitate.

Molles non tantum partes, ossa etiam infestare Scorbutum, plura

(*a*) Hunc contagiosum esse, & à nutrice in filiolum, lacte instillatum fuisse, lugubri experientiâ observavit Dolæus Encyclop. Med. Dogm. Lib. 3. Cap. 12. à solo etiam Fœtore Cadaverum, Scorbuto defunctorum, ortum hujus mali annotavit Sennertus.

docent obſervata (*a*), hinc exoſtoſes, caries, Spinæ ventoſæ; hinc nulla, aut ſaltem difficilis fracturarum conſolidatio, dum labe Scorbuticâ inficitur medulla (*b*).

Scorbutus, morbus ſanè cachecticus, morbi ut plurimùm chronici, quandòque acuti, ſapit indolem; in hoc tota invertitur ſanguinis craſis, ſolidorumque compages labefactatur; globuli namque purpurei coacervati, innatant ſero, acrimoniâ muriaticâ præprimis, nonnumquam alkalinâ, imò (ſed raró) acidâ referto, unâ cum partibus lymphaticis craſſis & viſcidis, ſerum acre, plus, minuſvè irretientibus; dum ſolida laxa & flaccida in primo ſtadio, in ultimo verò tenuia & quaſi ſemieroſa ſæpè manifeſtantur. Ad hanc tum fluidorum, tum ſolidorum labem multùm conferunt, vita deſes ac ſedentaria (*c*), mœror, aër craſſus & uliginoſus, alimenta ſalſa, fumo indurata, farinacea, viſcida; vegetantium deffectus, aquarum putridarum & ſtagnantium potus, ſpirituum ardentium, aut liquorum minùs defæcatorum uſus &c. nam ſolida debilitando viſcoſitatem ac lentorem fluidis conciliando, acrimoniamque in variis variam impertiendo, cauſam præbent Scorbuti proximam continentem.

Recens Scorbutus, nullique prævio adſcitus morbo, non adeò periculoſus & chronicorum numero adſcribendus, idem tenendum dum acrimonia muriatica, aut acida eſt, & viſcoſitas ac lentor ei prævalent; periculoſior econtrà, ac peracutus eſt habendus, dum inveteratus, aliorum morborum comes eſt, & dum acrimonia, alkalina præſertim, major eſt, lentore & viſcoſitate fluidorum: à parentum labe contractus, quique ab incunabulis adolevit, ægrè admodùm fugatur, fieri quippè vix poteſt, quin aliquod ſui veſtigium relinquat, levique in victu errore repullulat: quid plura? quò graviora, aut leviora, comitantur accidentia, eò feliciorem, aut infeliciorem decet occinere prognoſim.

Non unam & eamdem eſſe Scorbuti therapeiam, edocent clinicorum obſervata, ejuſque comprobat æthiologia; varia requiritur medela in incipiente, confirmato, in muriatico, acido, vel alkalino: ut itaquè congruis auxiliis poſſit debellari, attendendum priùs, num fluidorum lentor, major ſit acrimoniâ, & quænam acrimoniæ indo-

(*a*) Obſervavit Clar. Petit Malad. des Os T. 2. Pag. 446 quod in Scorbuticorum Cadaveribus, inventum fuerit perioſteum, ab omnibus ferè corporis partibus ſeceſſiſſe. Poupart Act. Acad. Pariſ. 1699. ſe vidiſſe teſtatur, epiphiſes ab oſſis reliquo corpore ſeparatas, coſtas à cartilaginibus ſejunctas & carioſas, celluloſam oſſium internam fabricam in putrilaginem converſam &c. & Wanſvieten magnam partem maxillæ oſſeæ corruptam excidiſſe vidit T. 3. P. 607.

(*b*) Illuſ. Wanſvieten T. 3. de Scorbuto.

(*c*) Undè peſſimè ſanitati ſuæ conſulunt eruditi, dum ad libros anxiè ſedent, & Muſarum ſacris, noctes atquè dies operantur.

les; notando tamen in omni Scorbuti ſpecie, inchoandam eſſe curam, ſaburram in primis viis nidulantem amandando, tonumque ventriculi & inteſtinorum roborando: in incipiente Scorbuto, purgantia majoris, minoriſvè energiæ, prò diverſâ ægrotantis conſtitutione, varioquè corporis ſtatu cachectico, veniunt identidèm exhibenda, ſimulque ſub diverſâ formulâ, interponenda remedia antiſcorbutica propriè dicta, *Naſturtium* nempè, *Cochlearia*, *Beccabunga*, *Eruca*, *Lupulus*, *Raphanus*, *Fumaria*, *Cortex Winteranus* &c. quæ amaritie, ac vi attenuanti & diureticâ calidâ, quâ pollent, ſolidis robur conciliant, attenuant fluida, acrimoniam extricant & per urinæ colatoria eliminant.

Verùm ſi provectior ſit morbus, & lentori prævalere acrimoniam, ſuadeant Phænomena; tunc, ſi muriatica, præſtò ſunt diluentia, edulcorantia, nunc ſola, nunc antiſcorbuticorum ſuprà memoratorum virtute, acuata; aquarum medicatarum lacti recenti permixtarum, largus ab Hoffmano commendatur uſus: dum verò alkalina eſt acrimonia, nocent antiſcorbutica vulgò dicta, niſi maximâ acetoſæ copiâ admixta fuerint (*a*); proſunt mirificè, fructus horæi ſubacidi, aut acido-dulces; ſucci Limonum, Aurantiorumve (*b*), ſerum Lactis, Cremore Tartari extractum, lac deín ebutiratum (*c*) & ſimilia, quibus tota adimplebitur Scorbuti Medicina: tandem ſi acida fuerit, jam dictis antiſcorbuticis & alkalinis variis utendum, horumque uſui interponenda eſſe laxantia, exiſtimat Schachtius.

Dum his debellatur auxiliis fluidorum labes Scorbutica, externis ſimptomatibus, graviſſimis ſæpè, ſublevandis, operam navare debet Medicus; his autem efficaciter opitulantur, nunc ſcarificationes, nunc lotiones, antiphlogiſticæ, antiſcorbuticæ, antiſepticæ, diverſæ Scorbuti ſpeciei appropriatæ.

(*a*) Wanſvieten de Scorbuto. Schacht. de Scorbuto.

(*b*) Aſſerit Liſter. de Scorb. ſe ex nullo alio medicamento ſimplici, tot felices effectus in praxi obſervaſſe, quam ex Limonibus.

(*c*) Conſul. Etmullerus, Williſius, Charletonius, Eugalenus, Brunnerus, Brucæus, Pitcarnius, Wanſvieten &c. ſolo ferè renuente Morthon. Qui credit Pag. 87. Tom. 1. diætam lacteam Scorbuticis inimicam eſſe.



QUÆSTIO QUINTA.

Quænam Venena in usus Medicos verti possint ?

QUÆCUMQUE aut cibo, aut morsu, puncturâve, aut contactu, aut halitu, minimâ mole, viventi corpori inserta, mortem velocissimè ut plurimùm, vel gravissimos excitant morbos, Venenorum nomine donanda esse, jam in prægressis indigitavimus. Notavimus dein, quod licet quædam in usus Medicos verti possint, non exindè tamen è Venenorum albo, sint excludenda; Venena namquè Medicinalia evadere, & miros præstare effectus, sive interno usu, sive externo, modò peritâ manu tractentur, percelebrium Scriptorum testantur monumenta. Jam verò ut demandatus absolvatur scopus, quænam hæc sint, proponere consultum duximus.

1°. Hæc inter, meritò locum tenet Mercurius Sublimatus corrosivus: potentissimum illud toxicum, Cane pejus & angue vitandum, existimaverant Medici benè multi; hoc solus ferè, numquàm satis laudandus Boerrhavius, Aquâ dilutum, Sirupo Violaceo edulcoratum, dosi exiguissimâ, ad octavam scilicet grani partem, bis terve de die repetendâ, in casibus quibusdam desperatis, multùm opitulari asseruerat (*a*); præceptoris sui vestigiis, propero pede inhærens Illustr. Wansvieten, infinitis fultus observatis, egregium in Venereis morbis debellandis fieri medicamen, jurè pronuntiare ausus est: hanc sic instituit parandi methodum.

Solvatur Mercurius sublimatus, in spiritu Frumenti rectificato (*b*), hâc lege, ut in singulis spiritus unciis, hæreat dimidium grani, detur deindè, manè & vesperi, Cochlear ægrotanti, vel ad summum duo; verùm suadet Clar. De Haën observatorum Wansvietenii testis occulatissimus, si pertinax sit malum, & robusto de cæterò donetur temperamento ægrotans, ut ter, imò quater de die offeratur (*c*): epotet simul largam hordei, vel alterius cujuscumque decocti emollientis, cum certâ lactis quantitate copiam.

Quoàd

(*a*) Instit. Chem. T. 2. P. 312.

(*b*) Spiritus ex quocumque Vegetabili, fermentatione parati & rectificati, nihil ferè different inter se, & loco spiritus Frumenti usurpari possunt. Vid. Joan. Bona Hist. Curat. pag. 9.

(*c*) De Haën ratio medendi T. 2. P. 209.

Quoàd ſecretiones, quæ hoc aſſumpto medicamine cientur, notat Clar. Bona, in Libello de hujus efficaciâ conſcripto, alvi quandam dejectionem, primis diebus obſervari; dein verò remedio ſenſim aſſuefactis, ventriculo & inteſtinis, diureſis tantùm, vel ſudores promoventur: notatu præterea digniſſimum cenſet, quod cum è familiariſſimis Mercurialium effectibus, ſit ſalivatio, hanc numquàm à Sublimato, concitatam obſervaverit; aderat ſolùm, levis quædam interdùm ſputi promotio, quæ brevi per ſe ceſſabat. Refert tandem, non in ſolis Venereis morbis, pro heroïco habendum eſſe remedium hocce, multùm etiam præſtare aliis in affectibus, de quibus conſuli meretur jam memoratus Libellus. Noto etiam notius eſt, his qui vix primis, ut vulgò dicitur, labris Chemicam artem deguſtarunt, ex Sublimato corroſivo, Mercurium addendo, & iterùm Sublimando, confici Mercurium dulcem, cujus uſus in praxi egregius.

2°. Non in ſolo Sublimato, ad contumaciores proffligandos morbos, præſtans remedium reperire datur; Cicuta major, pro Veneno meritò habita, faventibus nunc Clar. Storck Medici Viennenſis obſervatis, præſentiſſimum plurium morborum, ſuppeditat medicamen (*a*). Extùs ſi uſurpetur, egregiè reſolvit, gangrenæ progreſſus retardat, podagricos, rheumaticos, carcinomatodeos dolores demulcet &c. his per propria experimenta fretus veritatibus, vitam pro nihilo reputans, modò publicæ utilitati inſerviret, ſuccum expreſſum, extracti formâ, in ſemetipſo tentare auſus eſt, auctâ ſenſim in dies doſi, quibus innoxiè peractis, Pillularum ſequentem formulam promulgavit. Sumatur Cicutæ recentis certa quantitas, exprimatur ſuccus, leni igne in vaſe terreo evaporetur, ad conſiſtentiam extracti, materiam identidem agitando, tunc cum foliis ejuſdem Plantæ pulveratis, fiant Pillulæ, ad pondus duorum granorum, harum unam, manè & ſerò, præſcribit jam prælaudatus vir, doſi ſenſim in dies ad ſcrupulum auctâ. Nec urinas, nec vomitum, nec ſeceſſum movet remedium illud; omni ſexui, ætati, temperamento, obſervatis obſervandis, competit; opitulatur cancris, skirris, ſcrophulis, fiſtulis, tumoribus ædematoſis, ulceribus contumacioribus &c.


3°. Quæ jam de Cicutâ notavimus, ad Belladonam, toxicum vegetabile, refferri poſſunt; Cancrum enim mammarium, per foliorum

(*a*) Storck Cicutæ Libel. dantur etiam quidam inter veteres, qui Cicutam intùs uſurpare non reformidarunt; ſic Etmullerus in Schroder. P. 111. noviſſe aliquem aſſerit, qui skirros lienis & hepatis, per radicem Cicutæ propinatam, curabat. Renealmus Obſ. 3. Cicutæ ſcrupulos duos, Vino infuſos, in hepatis obſtructione præſcripſit. Refert etiam Wepfer. de Cicut. P. 309. D. Velſch arcana Cicutæ, experimentis nobilitata, ad graviſſimos affectus ſublevandos plurima habuiſſe.

usum internum, sanatum memorant Clar. Lambergen & Darluc (*a*); miros etiam hujus decocti effectus vidisse, testatur Junkerus. (*b*)

4°. Vitrum Antimonii, vehementissimum Emeticum, hominibus Venenum, Animalibus non item, quibus non nisi anxios motus vomitusque procreat (*c*). Sicut ex Antimonio, vita & mors, prò vario præparationis modo eliciuntur, ità medicamen aliquod salutiferum sistitur, ex Antimoniali Veneno: formula ejus sic se habet. In Cochleari ferreo, in fluxum redigatur Ceræ citrinæ drachma una, fluenti, misceatur Vitri Antimonii in pollinem redacti, uncia una, per semihoriùm detineatur, super lentum sine flammâ ignem, & spatulâ agitetur, remotum ab igne, fiat pulvis in usum servandus, Vitrum Antimonii ceratum vulgò dictus. Egregiè conducit, in Cholicis præsertim Saturninis, Pictonum nuncupatis.

5°. Nec nos latet, plura alia dari, pro Venenis meritò habita, quæ modò debitè usurpentur, inter præstantiores Medicinas locum tuentur, qualia rescensentur, purgantia mochlica dicta; Cantharides, quarum usus certis in circumstantiis multùm eximius; acida mineralia aquâ diluta; Plantæ quædam narcoticæ, ùt Hiosciamus, Solani species quædam, aliaque. Quoad verò Arsenicum, etiamsi à quibusdam Scriptoribus celebretur, hujus tamen usum, cum saniori clinicorum parte, exulandum esse censemus. Tandem apud omnes in confesso est, Opium, paulò altiori dosi Venenum, debitè & strenuâ manu tractatum, vix ullo alio medicamento, præstantissimis suis effectibus, palmam concedere.



QUÆSTIO SEXTA.

An facultatum & virium Theoria à neotericis meritò rejecta?

FACULTAS, vis, potentia, virtus, idèm sonant apud veteres (*d*): his vocibus, tota perstrebat olìm Medicina, & in vastis illius ævi voluminibus, de his perpetua fit mentio: facultas, Galeno, id est quod primò actionis causa existit (*e*).

(*a*) Vid. Diar. Med. mens. Mart. 1757 & Decemb. 1759.

(*b*) Junker Consp. Therap. Tab. 19. de his etiam legi merentur, quæ protulit sagaciss. Amoreux, dulci cujus amicitiâ fruor, in Diar. Jul. 1760.

(*c*) Sproegelius Dissert. inaug. de Experim. in Animal. instit.

(*d*) Vid. Varanda Phisiolog. Cap. de facult. & functio. P. 69.

(*e*) Galenus Lib. 1. de simpt. caus. Cap. 1.

Variæ corporis actiones, inquit Riverius noster, ab animâ exercentur, per potentias & proprietates diversas, quæ illius essentiam proximè sequuntur, ab eâque immediatè dependent, quæ proprietatum, & facultatum nomine donantur (a): addit deinceps facultates à functionibus dependere, tamquàm effectus à suis causis, in hoc autem discrepare statuit, quod facultas animæ sit propria, functio verò toti composito: contendit tandèm, quod ut actio exerceri queat, requiratur non tantùm, ut anima suis stipetur facultatibus, verùm recta etiam organi ad agendum dispositio, quo malè se habente, actiones vel depravatè peraguntur, vel nullo modo exercentur.


Trifariàm facultates diviserunt veteres, in naturales nimirùm, vitales & animales, quas iterùm variis aliis subdivisionibus objecere. 1°. Naturalem facultatem vocant eam, quâ actiones ad individui, vel speciei conservationem spectantes, eliciuntur; huic famulantur nutrix, auctrix, generatrix; per nutricem hanc audiebant animæ vim, quâ alimentum, corporis substantiæ assimilatur, ut deperditum reparetur; auctrix illa dicebatur, quâ corpus incrementum assumit; generatrix tandèm, quâ homo sibi similem efformat: harum prior rursùs dividitur, in attractricem, retentricem, concoctricem, expultricem; posterior verò in alteratricem & conformatricem. 2°. Facultatem vitalem dixere, quâ pulsus fit, calor propagatur per universum corpus, & respiratio absolvitur; per hanc vita in corpore conservatur, absquè hâc celebrari non potest. 3°. Animalem nuncuparunt facultatem, perquam sentimus & movemus, hanc dividebat Galenus, in sensibilem, motivam, & rectricem, quarum unaquæque de novò, suas patiebatur subdivisiones: quasdam silemus à scriptoribus non nullis recensitas, cum ad jam exaratas, facilè refferri queant.

His jam memoratis facultatibus, fulciebatur antiquorum Theoria, quæ per plures annorum myriades viguit, quæque jam sua videtur habuisse fata: paucis perpendamus nunc, utrum Theoria hæc, à neotericis, jure ac meritò fuerit rejecta. Si facultatum & virium vocabula, quibus indiscriminatim non semel, usi sunt veteres, harumque divisiones & subdivisiones, statim in limine intueamur, hos entia sine necessitate multiplicasse, & verba nihil ferè significantia, adhibuisse non numquàm, reperiemus: verùm ne cæco novitatis & præjudicatarum opinionum fuco fascinati, veteres increpemus, qui si non omnia vera, plurima certè verissima proponunt.

(a) Riverii Instit. Med. Lib. 1. Sect. 6. P. 19.

Quid plura? si perlustrentur, percelebrium quorumdam Phisiologorum, è neotericis monumenta, nonne mutatis tantum nominibus, & sub clariori tantum luce, à veteribus celebrata, pro veræ Theoriæ inconcussis dogmatibus venditantur? nonne adhùcdùm etiam, apud nonnullos perennatur, functionum divisio, in naturales, vitales & animales? tandem quamvis mira promittant, & cantilent, de suis Theoriis neoterici, non magis veris forsan superbimus commodis, quam quæ, ex facultatibus & qualitatibus antiquorum expectantur; quæ si explicatæ, & rationibus quibusdam fuissent innixæ, ut antiquis, praxis decori est, sic & illis laudi Theoria esset. Unde concludendum esse existimamus.

Facultatum & virium Theoriam non meritò à neotericis fuisse rejectam.



QUÆSTIO SEPTIMA.

An quorumdam chronicorum in acutos Morbos transformationem spontaneam quandòque salutarem, arte liceat imitari.

DUO complectitur Quæstio hæc, quorum aliud, tamquam certum supponi debet, & de quo lis nulla movenda videtur; aliud verò, disceptationis materies, tamquàm problematicum proponitur, ut libratis rationibus, sententiæ assentiamur, quæ magis fulta, & clinicorum observationi consona videbitur.

Quot & quantis morbis, obnoxium sit Corpus humanum, quot & quam furentibus, per universalem vitæ curriculum, jactetur procellis, vix leviter attendenti perspicuum est. Verùm si multi sint vitalis auræ exitus, innumeri dantur regressus ad sanitatem: cum enim creatus fuerat homo non periturus, in se condit vitæ semina, itâ ut inter ipsamet necis pericula, ad vitam videatur ordinatus, & graviùs etiam ægrotans, innato sibi vitali principio, mille modis ad sanitatem tendat.

Mirabilis etenim illa Machinæ humanæ structura, liquidorum solidorumve

ſidorumve motus reciproci, tantus organorum ſecretoriorum, ac emiſſariorum ductuum apparatus, tot ſunt arma quorum ope, in omni morbo, fit naturæ conamen, quo hoſtiles ſuccos vel emendet, vel eliminet; hinc tot & tam variæ criſes, tot & tam diverſæ Metaſtaſes, tot & tam inopinatæ morborum ſolutiones, quas, [ſi cum bonis ægrotantium rebus ſuccedant] tot ſalutares morbos dixeris, in quibus annuendis, imò & non numquàm provocandis, non modò verſatur medentis induſtria, quam in illis avertendis, nefas & piaculum foret; morbus quippè fit aliquandò morbi ſanatio.

Natura interdùm ſalutem ægrotantis moliens, victoriæ prorſùs impar, effœtis viribus, vincitur ipſamet; hinc cujuſlibet morbi, ex obſervationibus, triplex exitus; 1°. Ad ſanitatem. 2°. Ad alium morbùm graviorem aut leviorem per Metaſtaſim (*a*), 3°. Demùm & quidem infeliciter ad mortem. Dum autem primo & feliciori exitu Beari nequit æger, nec ſub tertio lethali occumbit, felicem ſe fateatur, ſi devictâ mortis falce, ſecundo gaudeat morbi eventu, quâ ſalutari Metaſtaſi, ab exitiali morbo liberatus, in mitiorem alium inciderit.


Mutationem Morborum chronicorum in acutos ſpontaneam exiſtere poſſe in Corpore humano, nemo non concedere debebit; erit adeòque transformatio hæc ſalutaris, cujus ſolutio, remedium affert alteri morbo; ita tamen ut ſtatus indè corporis ortus, priori non ſit periculoſior; de his fidem faciunt obſervatorum monumenta, idque non ſecùs reperire datur, in plurimis morborum judicationibus; ad hunc finem, teſte experientiâ & obſervante divo Hypocrate, longo alvi profluvio detento, ſpontè ſuperveniens vomitus morbum ſolvit (*b*); ſi à leucoplegmatiâ detento, vehemens diarrhæa ſuperveniat, à morbo liberatur (*c*), &c. ità non ſemel notarunt obſervatores, in cachecticis, vel etiam in hydropicis, acceſſu febris intermittentis, morbos evanuiſſe, quod etiam ſemel vidiſſe teſtor: notatu pariter digniſſima videtur Boerrhavii obſervatio, à Wanſvieteno relata (*d*), de ſartore, ter paralyſi correpto, & totiès febre magnâ ſuperveniente ſanato. Plura vetant effari anguſtiores diſſertatiunculæ & temporis limites, dequibus paſſim conſulenda clinicorum volumina.

Hâc methodo naturæ medicatricis ritè perſpectâ, Medicus tamquàm illius miniſter & interpres, facilè, atquè abſquè errandi metu,

(*a*) Metaſtaſis dicitur, translatio ſubitanea materiæ morbificæ à parte in partem, à naturæ conatu procedens Path. Meth. Illuſ. Sauvages P. 399.
(*b*) Hypocrates Sect. 6. Aph. 15.
(*c*) Id. Sect. 7. Aph. 29.
(*d*) Wanſvieten Comment. in Aph. Boerrh. T. 3. P. 273.

varios ejus motus, sedulò perpendere debet, & determinare poterit quandò illam vel sequi, vel aliam in medendo viam eligere debeat; cujus rei præclara jam prostant specimina apud Hypocratem, Galenum, aliosque Medicinæ antistites; quod verò hanc arte imitari liceat, nulla, quod sciam, repetiuntur orbservata apud Scriptores, quibus hoc, cum bonis ægri rebus, fuisse tentatum constet; huic que præcisè adversari videtur veterum doctrina, qui certi, quod hæc imposita fuerit naturæ necessitas, ut totis viribus in morbidæ materiei subactionem, & ad incernicula propulsionem contendat; hanc tantùm adjuvandam, & hujus motus exequendos esse autumarunt. Sistat igitur pedem Medicus, sagax naturæ speculator, ne Scillam vitare cupiens, incidat in Charybdim. Idcircò concludendum esse credimus, quod

Quorumdam chronicorum Morborum in acutos transformationem spontaneam, quandòque salutarem, arte non liceat imitari.



QUÆSTIO OCTAVA.

An frigus Febrile differat à frigore sincoptico?

FRIGUS, juxtà Illustr. Wansvieten, nostri respectu, nihil aliud est præter sensationem, quam ex imminuto calore corporis nostri, percipimus (*a*): debet igitùr concitari perceptio hæc, dùm minuuntur causæ, calorem in humano corpore producentes. Ab attritu liquorum in se mutuo & in vasa, calorem pendere, nullus fermè inficiabitur, qui quidêm debetur fluidorum motui circulatorio; si igitùr motus is imminuatur, frigoris sensum debere subsequi consequens est.

Ingruentibus Febribus continuis & intermittentibus, manifestatur ut plurimùm frigus, sicùt & in exordio Febrilium exacerbationum. Varia & multiplicia hujus invasionem præcedere & comitari solent phœnomena; corporis namquè lassitudo, gravitas, anxietatis sensus, miserum fatigant ægrotantem; pulsus parvus fit, frequens, non rarò tremulus & inæqualis; pallescunt imò non semèl livescunt ungues, labia, vultus & reliquæ totius corporis partes; dein inhorescit cutis,

(*a*) Wansvieten in Aphor. Boerthav. T. 2. P. 159.

rigeſcit, horripilatur; contremiſcunt non numquàm & convelluntur membra, quæ motitationes, tantâ vi aliquandò in maxillâ inferiori apparent, ut magno cum ſtrepitu, dentes collidantur.

Non hæc ſola, ex frigore Febrili oriuntur; notabiliter imminuitur, vel penitùs ſufflaminatur perſpiratio, urinæ tenuiores, parcæ & aqueæ minguntur, &c. quæ brevitati conſulentes, ſilentio premimus: nonnumquàm ſi diutiùs protrahatur, notante Illuſtr. Wanſvieten, ſtupidi jacent ægrotantes, imò tanta inſenſibilitas obſervatur, ut pedes ad oſſa uſquè, miſeris combuſti fuerint, abſque vel minimo doloris ſenſu: quid plura? cum Pulmo, continuò fluenti ſanguini objiciatur, non ſecùs ac cæteræ partes; hinc ſæviente frigore Febrili, non debitè expanduntur veſiculæ aëreæ, difficiliùs progrediuntur liquida, in vaſis ſuis ſtagnant & coacervantur, undè non mirum, ſi fato non ſemel occumbant ægrotantes, & ſi poſt mortem, ſanguine craſſo, nigro & poliposò infarcti Pulmones reperiantur (*a*): hæc hactenùs memorata accidentia, pro intenſitate Febrilis frigoris, varia occurrunt.

Febrile frigus debetur ſtagnationi & ſpiſſitudini ſanguinis, cujus adventu circulatorius imminuitur motus,& conſequenter ponitur frigus. Non reticendum tamèn, præter memoratam, aliam affectus hujuſce cauſam aſſignari poſſe, cum nempè inſpiſſato ſanguine, & in minimis vaſculis denteſcente, nerveæ ſuccutiuntur fibrillæ, tanquàm à corporibus frigoriferis, ut excogitavit famigeratiſſimus hujuſce lycei Profeſſor (*b*); unde fiat quod ſenſu moleſto, auxioſo, & dolorifico conquerantur febricitantes, id in dies docente obſervatione.

Frigus verò ſyncopticum, abſquè ullo moleſtiæ ſenſu manifeſtatur, nam præceps fit in ſyncope, virium collapſus; hoc in ſtatu; ad ſenſum quaſi abolentur omnes functiones, & flacciditate quaſi paralitodæâ detinentur muſculi, hinc ratione ſimptomatum, frigus utrumque concomitantium, diſcrimen aliquod intereſſe videtur: aſt cum ab eâdem cauſâ continente, nempè ab imminuto motu ſanguinis circulatorio, utrumque originem trahat, facilè concludi poſſet, Febrile, à ſincoptico nullatenùs differre: anceps itaque videri debet hujuſce problematis judicium; verùmtamen ſi attendatur, ſive ad naturam frigoris utriuſque, ſive ad cauſam immediatam, & prætereà frigus Febrile, fieri ſæpiſſimè ſyncopticum, jure quodam concludendum eſſe autumamus.

Frigus Febrile vix differre à frigore ſyncoptico.

(*a*) Wanſvieten T. 2. P. 162. Vid. etiam, quæ profert merit. Author anonimus de recond. Febr. interm. naturâ Cap. 6. P. 28.

(*b*) Illuſtr. Fizes in Tract. de Febribus Cap. 5. Pag. 69.

QUÆSTIO NONA.

De Aëre, Aquis, & Locis subMonspeliensibus.

INTER varia, quæ vitæ & animantium sanitati, maximè videntur necessaria, & quorum examen, applicatio, & usus, Medico debent esse perspecta atque explorata; hæc inter primariam meritò sibi vindicat partem, Aëris, Aquæ, & Locorum in quibus vitam degunt, investigatio: ab illis datur, & Regionum fæcunditas, & alimentorum qualitas, & corpori suppeditatur robur, quibus rectè se habentibus, salubritas tunc adest, justæ Aëris, Aquæ, & Locorum temperiei, meritò tribuenda: quod si econtrà quâcumque de causâ vitientur, pravos horum effectus, in animantium corpora redundare, necessum fit.

Sicuti non unâ de causâ, Aëri conciliatur salubritas, ità plurium ope, vitiari potest fluidum illud, viventibus adeò necessarium: Aër enim Athmosphericus, velùt apotheca naturæ, continet quidquid è corporibus sàt leve difflatur, ut in sinu volitare possit (*a*): ex omnigenis corporibus, sic conflatus Aër; patet, quod prò variorum Locorum situ, debeat necessariò differre; patet deindè, quod terræ emanationes, eæ præsertim quæ à Mineralibus suppeditantur, Aërem multùm inquinare possint (*b*); constat & etiam quod ubi Aër salubris, ità & Aquarum detur salubritas, & vice versâ; concludendum tandèm, quod loca hæc salubriora erunt reputanda, quæ noxiarum exhalationum minorem copiam suppeditabunt.

His ità præmissis, faciliùs multò deducemus, quæ tum Aërem, tum Aquas, tum Loca subMonspeliensia spectant. In his, pro regione, perpendendis, jam suam navarunt operam, percelebres Scriptores, facem præferente Hypocrate; hos, impari licèt gressu, sequar, idque eò lubentiùs, quod nisi (ùt cum Baglivio loquar) hæc omnia sibi comparaverint, quorumlibet Regionum Medici, vix Populariùm suorum morbos, ad perfectam sanationem poterunt perducere.

Monspessulanus, quibusdam Monspelium, à parvo Monte cui insidet,

(*a*) Arbuthnot sur les effets de l'Air, Chap. 1. P. 3.
(*b*) Idem Chap. 4. P. 91.

ſidet, & *Lano* vel *Lede* Amne ſic dictus eſt (*a*), juxta veterem Poëtam, qui multis etiam in Locis *Agatham* vocat Civitatem, quod his teſtatur Verſibus

Agatha floret ſtudio medendi,
Oppidum ponto gelido propinquum,
Cui novum parvus titulum dedit Mons
Lanus & Amnis.

Hujus latitudo eſt 43. grad. 37. minut. longitudo verò 21. grad. 27. minut. Orientem verſùs. Plaga Meridionalis, occulis offert Planitiem, longè latèque ſe extendentem, cujus limites efformat Mediterraneum Mare, duabus circiter leucis ab oppido diſtans; Septentrionalem quod attinet, hæc Collibus hinc indè inſtructa, ad Montes terminatur: arcem verſùs dirigitur Orientalis Plaga; Occidentalis verò Plateam verſus dictam *le Peyrou*.

Omnia commoda, ſitu felici & naturâ Loci cælique, obtinet Monſpeſſulanus quæ deſiderat Hypocrates in Civitate ſalubri (*b*). Tellus noſtra nec Paludibus infecta, nec conſita Silvis, nec Montibus; neque Reptilium, aut animantium venenatorum, ferax eſſe deprehenditur; venti perflant undècumque, & tollunt damnoſa miaſmata; Imbres penè æquatis vicibus decidunt; æquam vulgò ſervant rationem anni tempeſtates, nec acerrimo Solis æſtu torridæ, nec vi frigoris intolerabili obrigentes: Hiemem, Ver temperatum, ex æquo ab utroque extremo recedens, excipit; Autumnus, principio reffert Æſtatis declinantis calores, ſub finem, primos Hiemis morſus; undè non mirum quod plures exteri, delectandi, vel ſanitatem recuperandi cauſâ, hanc noſtram petant Civitatem, quodque ad provectiorem ſenectutem, vita Monſpelii protrahatur. Plura de opibus, quibus abundat & ſuperbit dulciſſima noſtra Patria, vetant effari, & tempus, & ſtrictiores diſſertatiunculæ cancelli.

Si habeatur tamen ratio ſitus jam memorati, facilè videre eſt, quid ſentiendum de Aëre, Aquis, & Locis ſubMonſpelienſibus: etenim juſtà Maris Mediterranei littora, Aër, Aquæ, & Loca, inſalubria ſanè ſunt reputanda; undè infelices Pagi, ſolo ſedent pingui, Argilloſo, Paludibus, Stagnis, imbribus collectis, (Gallicè *Mares*) undèquaquè obſito, particulis vitriolicis, ſalinis imprægnato; quæ Loca inſalubriora multùm fieri aſſueſcunt, dùm Æſtivis caloribus Paludes & Stagna exſiccantur, putridi namquè vapores, qui inde aſſurgunt & exhalantur, Athmoſpheram multòmagis inficiunt; hinc humidum, impurum, & variis miaſmatibus onuſtum Aërem,

(*a*) Juxtà Illuſtr. Aſtruc, dicitur Hebraïcè *har naal*, id eſt, Mons ſerâ ſeu Peſſulo clauſus, vid. Mémoires pour ſervir à l'Hiſtoire du Languedoc P. 198.
(*b*) Hypocr. Lib. de Aëre, Aquis & Locis.

trahunt miseri accolæ (a); undè corporis inflatur textura, relaxatur fibrarum tonus, languet motus fluidorum progressivus, inspissantur ipsamet, minimi occluduntur vasorum meatus, & sic, perspiratione insimùl imminutâ, vel Planè denegatâ, plures & contumacissimi concitantur chronici affectus; cui etiam morborum generationi non parùm favent Aquæ quas epotant, Paludosæ, Stagnantes, molles, putridæ, imò nonnumquàm nauseabundæ: his omnibus adde, ventum australem quo frequenter perflantur, deffectu elasticitatis ac ponderis corpus ità labefactare, ut ex horum omnium concursu, morbi endemici & non rarò epidemici his in Regionibus observentur.

Saluberrima econtrà judicanda veniunt Loca Montibus vicina; purum, elasticum, particulis aromaticis, tùm e variis Plantis, tùm ex Arboribus ubertim exhalantibus onustum, trahunt Aërem feliciores incolæ; hujus puritati ac salubritati respondent, Aquæ limpidæ, leves, vivæ, e Rupibus salientes, solum siccum, purum, saxosum nihil suppeditat quo possint vitiari; nam quamquàm in Montibus sæpè delitescant mineralia, adeò altè sepeliuntur, ut vix quicquam nocivi possit emanari; præterea salubria hæc Loca, ventis perflantur Septentrionalibus, quibus amoventur damnosa, si quæ sint, miasmata; quibus omnibus unà concurrentibus, exulant facies pallidæ, pedes abdominaque tumida, incolis robur impertitur, & sanitas ad extremum usquè senium conciliatur.

Hæc jàm breviter exarata, de Aëre, Aquis, & Locis subMonspeliensibus, generaliora forsàn nonnullis videbuntur; verùmtamèn si perparùm attendat L. B. & ad brevitatem temporis, gravissimis elucubrandis Quæstionibus concessi, & ad copiam singulatim dicendorum de variis Locis subMonspeliensibus, facilè veniam, uti spero, concedet; præsertim si prò tanti suscepti dignitate, parùm præstitisse videar.

(a) Consul. Observ. quæ Reg. Scient. Societ. Paris. communicavit vir omni laude major D. Pitot an. 1746.



QUÆSTIO DECIMA.

De Diætâ Quadragesimali judicium Medicum.

DIÆTA Quadragesimalis, sic dicta, ex eo quod per quadraginta dies adhibeatur, à pristinâ salubriter ab Ecclesiâ institutâ adeò degeneravit, lautioribus & exquisitorem coquinariam artem redolentibus dapibus, olerum, leguminumve absquè arte paratorum loco substitutis, ut quamplurima hinc valetudinis detrimenta ortum habuerint. Meritò igitùr, statim in limine veniunt increpandi, qui molliùs & delicatiùs se tractant, salubriora namque, condimentis nociva reddunt.

Haùd refformidandi sunt, ut moris est, cibi Quadragesimales; horum enim indolem si attentè perscrutemur, manifestissimè constabit, victus hujus rectè instituti rationem, nulla præ se ferre insalubritatis indicia. Multiplex jejunantibus offertur cibus; quidquid abortit terra, mare & flumina produnt, quæcumque fingit ars, & humana servat Providentia, in usum venire queunt; id præcipit Ecclesia, exceptâ carne, exceptisque ab eâdem oriundis, ovis, lacticiniis &c. quorum & etiam usus quotannis ferè sapienter conceditur: ex quibus facilè perspicere est, pisces, frumenta, legumina, olera, fructus &c. Quadragesimalem victum abundè suppeditare.

Quid Quadragesimalis hæc Diætâ œconomiæ animali generatim faveat, quidvè speciatim, docet experientia, docent Scriptorum monumenta; Pytagoras carnium esum, tamquàm piaculum vitandum esse credebat; hoc subinnuere videtur Div. Paulus in Epistolâ ad Romanos, *bonum est*, inquit, *non manducare carnem & non bibere vinum.* Si vetustissima intueamur tempora, homines carnibus prorsùs abstinuisse, ac solis fructibus, herbis, & lacticiniis victitasse deprehenditur, multòque diutiùs vixisse constat; erant olim parentum nostrorum edulia, liquet namquè *ex Genesis Cap.* 9°. Deum nonnisi post Diluvium, animantia & pisces in cibum Noë & filiis ejus tribuisse; & si quid valeant Poëtarum asserta, illud his Versibus testatur Ovidius (*a*),

At vetus illa ætas, cui fecimus aurea nomen,
Fætibus arboreis, & quas humus educat herbis,
Fortunata fuit, nec polluit ora cruore,
Tunc & aves tota movere per aëra pennas,
Et Lepus impavidus, mediis erravit in Arvis.

(*a*) Ovid. Metamorph. Lib. 15.

Piſcium uſum nullam ſanitati labem inferre, & perſalubrem eſſe victum perſpicuum credimus; milliès à Galeno notatur, piſces qui frequentiùs comeduntur, alimenta eſſe boni ſucci; ſi Græcorum & Latinorum conſulantur monumenta, conſtat in menſis piſces frequentiùs quam carnes habuiſſe, eoſque multò majori ſtudio conquiſiviſſe (*a*). Notatu pariter digniſſima ſunt bina exempla à Galeno memorata, unum Antiochi Medici octogenario majoris, alterum vero Telephi Grammatici centenarii, quorum uterque inter familiares cibos piſces habuit: neque hic prætermittendum quod Hypocrates, aliique Medicinæ antiſtites, hos tamquàm ſalubria & optima alimenta ægrotantibus conceſſerint; non tantùm, ut credidit Mercurialis, pro conſuetudine, & quià maximè in quotidiano victu uteruntur, ſed quià neceſſarium, & aptiorem ſanitati recuperandæ victum hunc exiſtimabant.

Nec improbanda pariter veniunt legumina & frumentacea, quæ prò frequenti cibo per Quadrageſimam uſurpantur; quin & ſi quid vitii habeant, levi negotio corrigitur, vel coctione, vel, ut notat Galenus, ſi cum aliis plantis mixta comedantur (*b*): plura prætereà dantur ex his, quæ non tantùm in victu ſanorum ſalubriter adhibentur, ſed & in ægrotantium Diætâ, qualia ſunt hordeum, avena, oriza, lentes &c. idem & quoque de oleribus tenendum.

Aſt quid ego veterum exempla in medium protuli, dum quæ quotidiè in ſenſus occurrunt prætermitto; non ne tot religioſi vitam incolumen & ad extremum uſquè ſenium vergunt? qui non modò Quadrageſimale & alia jejunia ab Eccleſiá indicata accuratiùs obſervant, ſed & quam plura alia, à propriæ Religionis inſtituto ſibi injuncta, ità ut potiorem anni partem, imò & quidam totum annum, hocce victu utantur.


Ex his manifeſtum fit Diætam Quadrageſimalem ſaluberrimam eſſe, modò certas intrà præſcriptas leges coerceatur; nullum enim Medicum fermè fugit, hanc ſummè proficuam eſſe temperamentis ſiccis & præfervidis, alterique præponendam in morbis à ſiccitati & ariditate ſolidorum, ſimùlque ab acrimoniâ fluidorum: nemo neſcit, Diætam hanc, paroxiſmos arthriticos amovere ac antevertere, quâ fortè curarentur, ſi pro diro illo & chronico affectu adeſſet Medicina.

Nec tamèn negamus dari caſus in quibus juſculum & carnes, piſcium,

(*a*) Vid. Mercurial. Lib. 1. variar. Lection. Cap 25. & Zachiæ Quæſt. Med. leg. Lib. 5. Tit. 1. Quæſt. 2.

(*b*) Galen. in Comment. ad Hypocr. Lib. de Rat. vict. in acut.

piſcium, olei & herbarum loco, ſubſtitui debeant; ii ſunt morbi, à laxitate & inertiâ ſolidorum, à fluidorum torpore & viſcoſitate; ſicut etiam adeſſe temperamenta, frigida nempè, pituitoſa, cachectica, quibus nocet Diætâ Quadrageſimalis; quocircà ſuam quilibet ipſe inquirat idioſincraſiam, conſulendi Medici, ſapientiâ & experientiâ docti, tuncque præjudicatas opiniones, falſaſque impugnare, legitimas admittere, ſapientis eſt & Medici.



QUÆSTIO UNDECIMA.

Animalium in Aëre anguſto non renovato detentorum mortis cauſas exponere.

OMNE animantium genus vel in Aëre, vel in Aquis, vel in utroque vitam degit; cuncta organo donantur, quo alternatìm recipiant & expellant fluidum ſibi proprium; in terreſtribus animantibus organum illud pulmo vocatur, in aquaticis verò dicitur Branchiæ Gallicè *Oüies*; notando tamen Piſces quoſdam, ex Naturæ Curioſis, reperiri pulmonibus donatos, quales ſunt cete &c. ubi ſemel alternus hic motus, in organis jam memoratis fuit concitatus, ſi fortè defficiat, animantia vivere non poſſe res in confeſſo eſt (*a*).

Vitæ animantium adeò neceſſarium eſt fluidum Aëreum, ut hoc orbata Animalia, citiùs vel minùs citò fato occumbant; juniora namquè tardiùs adultis, aquatica amphibiis, hæc terreſtribus, in Machinâ pneumaticâ ſupremum ineunt diem (*b*); aquis ſubmerſus homo perit deffectu Aëris; Piſces ſub glacie, aut in aquâ unde eductus fuit Aër, citò extinguntur: ut autèm valetudo ſana ſibi conſtet, requiritur Aër purus, nec rarior, nec denſior, qui ſanguinis circuitui promovendo Planè ſit idoneus.

Sicuti, ut jam diximus, nullum Animal vivere poteſt, denegato Aëris uſu, ita nullum in eodem non renovato valet ſubſiſtere, ob vapores e pulmonibus non tantùm, ſed etiam e toto corpore exhalantes, quique conſequenter propriam inquinant Athmoſpheram. Avicula in magno recipiente Aëre communi pleno, ſed non reno-

(*a*) Vid. Arbuthnot effets de l'Air Chap. 5. P. 121.
(*b*) Idem Pag. 123.

vato, & accuratissimè clauso, moritur; Piscis in vase clauso detentus in aquis, sine renovatione Aëris, brevì perit; ubicumque magnus hominum confluxus, Aëris intoxicatio metuenda, & dùm præcluso Aëris aditu, carbones imprudenter accenduntur; quantâ Aëris penuriâ laborent in Carceribus, Nosocomiis, aliisque id genus locis qui degunt, explicat Illustr. Hallesius (a), quantaque foret Machinæ utilitas, nuper ab eodem excogitatæ, cui nomem Ventilatoris indidit: silemus plerosque vapores qui efodinis Metallicis, aliisvè subterraneis locis erumpunt, necnon nociva Aërem conspurcantia effluvia, quæ & atroces morbos, & præsentissimam mortem, hominibus animantibusque inferre posse, tragica Medicorum testantur observata.

Jam verò si quærantur causæ mortis animantium, in Aëre angusto non renovato detentorum, notatu necessarium credimus, ex Phisiologicis, quod diductis & elevatis costis, depresso diaphragmate, in omnem sensum amplietur thorax, pulmones subeat Aër, flaccidas pulmonales distendat vesiculas, complanatorum dimoveantur valòrum sanguineorum parietes, ac proindè à ventriculo cordis dextro, ad ultimos arteriæ pulmonalis mæandros feratur sanguis: huic inspirationi succedit expiratio, costæ deprimuntur, attollitur diaphragma, arctatur thorax, complanantur vesiculæ pulmonares, pars Aëris cum rore tenuissimo, sub formâ halitus tepidi foràs eliminatur.

His habitis, consequens est quod, ut hæc debito peragantur modo, certa ponderis & elasticitatis proportio ex parte Aëris requiratur; debeat præterea servari æquilibrium Aërem inter exteriorem & interiorem, quæ si defficiant, Animal patiatur necessum fit.

Suo etenim elatere defraudatus si sit Aër, perit ejus in pulmones actio, destruitur Aëris internas partes occupantis cum externo æquilibrium; ab hoc duplici malo, quot secundariæ labes exurgunt; pulmonis vesiculis ab Aëre non explicatis, brevi sanguini per viscus hocce via intercluditur, hæret ille in truncis, hinc palpitatio, anxietas, lypothimia, sincopes & asphixia: nihil ergò mirùm, si post mortem apertis pulmonibus, ubiquè appareant macculæ gangrænodeæ. Aliâ ex parte, pereunte Aëris externi cum interno æquilibrio, necessariò inflatur universus corporis habitus, sublatâ enim Athmospheræ compressione, proruunt ad cutem humores; sed præcipuè Aëre expanso, turgescere debent ventriculus & intestina, hinc & dilatato vasorum hùc confluentium orificio, humores quâ datâ port, prorumpere, undè vomitus nonnumquàm sanguinei; tandem a intestinis ità distractis, summa fieri debet pressio in vasis horum tunica perreptantibus, & indè inflammationes brevique gangrenas accerseri: alia hùc desideranda, ex jam dictis facilè deducentur.

(a) Vid. Lib. cui Titulus est *le Ventilateur*

QUÆSTIO DUODECIMA.

Quid externis Sensibus cunctis commune? quid singulis proprium sit?

SI mens nostra aliquid quovis modo percipiat, illa perceptio Sensus vocatur, cujus duplex notabilis occurrit distinctio, quippè reminisci, ratiocinari, similesvè actiones mentis ad Sensus internos refferuntur, quoniàm sine ullâ Sensibili mutatione organicâ exercentur, his præ omnibus aliis Animalibus gaudet homo; reliqui autem Sensus, qui ex mutatione corporeâ excitantur, quandòque in aliis animantibus perfectiores, Sensus externi dicuntur; hi quinquè resceassentur, tactus nimirùm, gustus, olfactus, auditus & visus: quid his commune? quid proprium? id indagandum proponitur.

Tactus, latiùs sumendo vocabulum, solo contactu, cutis beneficio exercetur; hunc aliarum sensationum esse basim, & non nisi prò minoris perfectionis gradu differre existimarunt percelebres nonnulli (*a*). Sensus is per totam cutim diffunditur nervorum ministerio, qui in ejus superficie, post solitas divisiones, abeunt in exiguissimas papillas, sub cuticulâ latentes, in apicibus digitorum præsertim conspicuas; facilè etiam deprehenduntur in linguâ, labiis, volâ manuum, in utriusquè sexus genitalibus, in mammis, aliisque partibus exquisitiori Sensu donatis, quibus innotescunt diversæ corporum qualitates, calidum putà, frigidum, humidum, siccum, molle, durum, læve, asperum &c. tactus idcircò omnibus ferè humani corporis partibus tribuitur.

Verùm alio Sensu magis proprio, tactus ex Illustr. Hallero, dicitur mutatio à corporibus externis, quæ in cute orta, animæ repræsentatur, & imprimis in digitorum manus apice; ibi enim jam memoratæ qualitates tangibiles, longè accuratiùs distinguntur (*b*).

Corpora spiculis salinis referta, linguæ admota, hanc afficiunt & quandam excitant sensationem, quæ gustus dicitur: à tactus organo in eo tantùm differt, quod præcipuè in linguâ exerceatur, licet huic etiam conferant, non assentiente Hallero (*c*), palatum & viciniores partes, quæ illius sensationis haud omninò expertes videntur; legitur namquè in Ephemeridibus Germaniæ Historia pueri elinguis, qui omnia saporum genera rectè discernebat; idem reffert de puellâ, apud Acta Academiæ Parisiensis merit. de Jeussieu. Papillæ nerveæ sapidorum impressionibus excipiendis aptæ, ad tria genera refferri

(*a*) Illustr. Le Cat Traité des Sens Pag. 4.
(*b*) Vid. prim. lin. Physiol. nº. 423.
(*c*) Vid. Lib. citat. nº. 446.

queunt, à nono nervorum pari ortum trahentes, quas excipit & retinet corpus linguæ reticulare. (*a*)

Olfactui prospicit primum nervorum par, quod in varia & innumera filula divisum, per foramina ossis ethmoïdei traducitur, substantiam penetrant membranæ cujusdam, mollis, vasculosæ, porosæ, papillosæ, internam narium cavitatem convestientis, quæ pituitariæ nomine donatur, in eâquè à corporibus odoriferis excitatur tactus species, olfactus dicta.

Soni perceptio auditus dicitur, aurem esse hujus sensationis organum, neminem fugit, quæ excitatur in nervi accoustici expansis propaginibus, plura alia concurrunt, in quibus enarrandis, brevitatis causâ supersedemus, de his consulantur jam memorati Scriptores. Tandem nervus opticus in occuli fundo à radiis lucis agitatus, visus Sensum nobis præbet, de cujus organi multiplici structurâ, nihil est quod ulteriùs proponam, cum jam fusè & eleganter ab egregio Athletâ id fuerit indagatum.

Sensibus externis compendiosè jam indicatis commune est, ex Hallero, (*b*) quod ab objectis externis percussâ medullâ teneri pulposique nervi, aliquam mutationem per fluidum nerveum, ad eam cerebri sedem perferat, in quâ primum fibræ nervi percussi oriuntur, nihil (inquit Illust. hic Vir) ultrà scitur. Omnibus igitùr externis Sensibus commune est, percipere rem aliquam corpori applicatam, sed quoniàm unicâ in parte corporis, solis v. g. occulis percipio lucem, quam nullo alio organo sentienti percipere possem; consequens est occulum aliud esse organum sentiens & distinctum à reliquis. Lingua si ei sapidum aliquod applicetur, sentit quoquè hæc omnia calida vel frigida, & dolore afficitur, non solùm in tactus, sed & in gustus organo; verùm saporem quem percipimus, refferri non posse ad generalem tactum manifestum est, cum talis Sensatio nisi in linguâ reliquisque oris partibus exerceri queat.

Quid plura? omnes nervi sensuum validè affecti dolorem exhibent, undè sequitur quod dolor non tantùm pertineat ad nervos tactus, sed & ad reliquos omnes sentientes; ità occulus à majori luce afficitur, auris à sono accutiori dolet, lingua à sapore acriori vellicatur, succutitur membrana pituitaria à fragrantioribus corporum effluviis; verùm nec motus in gostatorio nervo erit sapidus, nec motus in occulo erit color, sed motus aliquis specialis, ab objecto excitatus requiritur. Hæc breviter & pro viribus exarata satis indicant, quid externis Sensibus cunctis commune, & quid singulis proprium sit: nunc verò

Claudite jam rivos, pueri, sat Prata biberunt.

Virgil. Eclog. 3.

(*a*) Vid. Fusiùs different. D. Le Cat Traité des Sens P. 24.
(*b*) Prim. lin. Physiol. nº. 544.

FINIS.